













Letter, p. 63



*invente, et gravé  
par Egid. Forchstet*

*Graveur de la Cour  
Electoralis a. Mannh.*



FRANC. JOSEPHI DESBILLONS

SOC. JESU

# FABULAE

AESOPIAE,

CURIS POSTERIORIBUS,  
OMNES FERÉ, EMENDATÆ:

ACCESSERUNT

*PLUS QUAM CLXX*

*NOVÆ;*

TUM ETIAM OBSERVATIONES,  
GRAMMATICÆ PRÆSERTIM,  
COMPLURES,

ET INDEX COPIOSUS:

NEC DESUNT, EXPRESSAE EX ÆRE INCISO,

HOMINUM AC PECUDUM

FIGURÆ ELEGANTES.

---

*VOLUMEN I.*

---

MANNHEMII,  
TYPIS ACADEMICIS,

MDCCLXVIII.

Acc 2003-262  
Harris (39070)

61

PA 3855, AD D4 1748

# PRÆFATIO. \*

## CAPUT I.

*I. Antiquitas Apologorum, dignitas, natura expenduntur. II. Bonos latinitatis auctores, his etiam temporibus, existere posse, demonstratur. III. Quid præstitum sit, ut hæc nova Fabellarum editio fieret peritorum suffragiis paulò dignior indicatur.*



GRATI, memorisque hominis officium est, omni curâ providere, ut, quam operam suam favore fuisse publico exceptam resciverit, hanc ipsam novâ subinde operâ, utcumque res postulabit, augeat atque perficiat. Cùm igitur viderem Fabellas meas à viris approbari cùm eruditis, tum ingenio judicioque præ-

\* Ipsa hæc præfatio est editionis 3. in 12<sup>mo</sup> Paris typis Jo. Barbou, 1750; nisi quòd paulùm emendata est & accessionibus nonnullis locupletata.

stantibus ; atque alios literatos complures, qui eas legissent, idem fere sentire, intelligerem : statim in animum induxi, nihil prætermittere, quin liberalem, jucundamque istam benignitatem, quantum efficere meditando atque elucubrando possem, remunerarer. Quid autem præstiterim, mox indicabo, postquam primùm de hoc, in quo me exercui, Fabularum genere pauca disseruero ; deinde ostendero, bene latinè, his etiam temporibus, scribi aliquid posse, contra quam homines gentis nostræ nonnulli, ingeniosi quidem, & eruditionis gallicæ non expertes, at ejusmodi quæstionis judices minimè idonei, existimârunt, ac pronuntiârunt.

I. Apologi, sive narrationes de animalibus, rebusve etiam sensu carentibus institutæ, & ad utilitatem hominum translatae, omnes olim ab Æsopi nomine, qui inventor ipsarum vulgò habebatur, Æsopiæ ⁊ Fabulæ

⁊ Priscianus, col. 1329 Edit. Putsch. *Fabula est oratio ficta, verisimili dispositione imaginem exhibens veritatis... nisi sunt eâ Hesiodus, Archilochus, Horatius... nominantur aliae Æsopiæ, aliae Cypriæ, aliae Libycae, aliae Sybariticae: omnes autem communiter Æsopiæ,*

dictæ sunt. Quintilianus <sup>2</sup> tamen hoc inventum Hesiodo, qui multò ante Æsopum vixit,tribuendum videri significat. Exstat reverà de Accipitre & Aëdone Fabella <sup>3</sup> Hesiodi. Sed altiùs repetere licet originem Apologorum, ipsisque etiam ab indubitabili veritatis ac sanctitatis omnis fonte arcessere dignitatem. Annis enim, postquàm obierat Moses, circiter trecentis, fictam de Arboribus, Regem sibi postulantibus, Fabellam sacri Codices <sup>4</sup> nobis offerunt.

Neque id redarguat animadversionis censoriæ severitas:

Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ: <sup>5</sup>

licet enim, semperque licebit ægras hominum mentes innocentibus jocos delenire, sensimque ad bonam appetendam frugem ludendo allicere. Fabellæ tamen ita fingendæ, contexendæque sunt, ut suas plerumque par-

<sup>2</sup> Institut. Orat. L. V. Cap. XI.

<sup>3</sup> Oper. & dier. V. 201.

<sup>4</sup> Judic. Cap. IX. V. 8. Apologi quoque sunt, qui leguntur Reg. L. II. Cap. XII. V. 1. Cap. XIV. V. 5. Lib. IV. Cap. XIV. V. 9. ac sæpius in sanctis Evangeliiis.

<sup>5</sup> Phædr. Lib. I. Prol. V. 6.

tes in iis bestiæ sustineant ; quippe quæ propius absunt ab hominibus corporis animati similitudine.

Multa igitur possunt in hoc scribendi genere adhiberi, quæ falsa sunt. Nam, verbi gratiâ, Lupum & Agnum non modò loqui falsum est, sed naturæ etiam Lupinæ repugnat, illum in altercationem delabi, dum potens illecebra cogit, ut statim in prædam irruat. Tunc autem feritas ejus cohiberi, & quasi suspendi fingitur. Quo dato, jam eos sermones, quos Phædrus & Fontana referunt, Lupum inter & Agnum haberi verisimile est.

Ceterum Scriptor Fabellarum diligens

Reddere personæ scit convenientia cuique. 6

Et ab istâ lege si qui recesserint, vix eos & suavitas narrationis, & præceptionis utilitas excusant. Quapropter Critici quidam, paulò fortè rigidiores, id approbari sibi non posse dixerunt, quòd apud Phædrum 7 Vacca, Capella, Ovis, & Leo non modò societate jungantur, ac venentur simul: sed captum etiam

6 Horat. Art. Poet. V. 316.

7 Lib. I. Fab. V.

Cervum partiri velint. Prædam totam, ait Phædrus, Leonis improbitas abstulit. At singulæ partes quid, inquit illi, juvare focias poterant, quæ carne non vescuntur? Verumtamen hæc, & alia hujuscemodi nonnulla, quæ Fontanæ 8 minimè absurda visa sunt, adduci ego certè non possum ut improbem. Neque, opinor, poema quodlibet tam severè accipiendum est, ut expendatur, an delectare 9, an prodesse etiam debuerit, postquam utrumque præstitit.

Quæ quidem duæ res maximè requiruntur, ut laudem Fabellæ suam obtineant. Eas ergo necesse est continere nihil, quo virtus, pudor, honestas possint offendi. Quam legem Phædrus, ex ipsâ Apologorum naturâ emanantem, quòd bis, terve neglexit: illud miserimis ævi Tiberiani, quo vixit, corruptelis imputo.

Deinde oportet stili suavitate Apologos esse commendabiles. Quod eveniet, si com-

8 Lib. I. Fab. VI. &c.

9 Horat. Art. Poet. V. 333.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ:

Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

prehensio verborum omnis laboriosa repudietur; adhibeatur autem elocutio pura, nativi lepôris plena, ad narrationem dilucidam, brevemque, id est, circuitione vanâ carentem, accommodata: demum festivitas quædam, minùs arguta, quàm ingenua, cum simplicitate sermonis perpetuâ conjungatur.

Hanc porrò scribendi rationem, studio fortè inutili incensus, cùm in Fabellis repræsentare percuperem; nuncque Phædrum, nunc Fontanam, summos ambo artifices, inspicerem: hic adextremùm videbatur mihi tam plenus, tamque perfectus, ut me detereret, ne linguâ gallicâ auderem propositum exsequi: at ille, præterquàm quòd fabellas nobis haud ita multas reliquit, habet præterea nonnullas, quæ nostrorum temporum ingeniis parum conveniunt: atque ut id, quod sentio, magis fortè candidè, quàm prudenter, aperiàm, fatebor, me, dum istas Auctoris ceteroqui politissimi Fabellas attentè perenderem, etiamque commentariis illustrarem,

- 1 Paucæ Phædri Fabellæ cum ipsius primâ libri primi, de Lupo & Agno, exæquari dignitate ac venustate possunt.



---

animadvertisse , deesse plerisque nonnihil utilitatis illius, quâ præditum tale esse debere scribendi genus , modò significavi. Itaque Phædrum minore mihi cum periculo, quàm Fontanam, eligendum esse credidi, cujus institutum persequerer:

Nec hæc invidia, verùm est æmulatio <sup>2</sup>.

II. At quid moræ est, quin turba eruditulorum hîc mihi reclamitet, contendatque, hominem gente Gallum latinè scribere, id certè esse periculosissimum? Ego verò rationem eorum omnem facilè, uti spero, breviterque refutabo.

Tenemus, inquit, in manibus scriptores nonnullos exterarum gentium, qui postquam præcepta grammaticæ gallicæ omnia diligenter didicerunt, gallicosque Auctores optimos quosque studiosissimè legerunt, scribere gallicè ausi sunt: risumque nobis ad extremum excitârunt. Igitur (sic enim colligunt) quæcumque hominum recentiorum opera latinè scripta laudantur maximè; ea ipsa Auctores antiqui irriderent, si reviviscent.

<sup>2</sup> Phædr. Lib. II. Epil. V. 7.

At primùm intelligere adversarios nostros cupio, quantum fit latinam inter gallicamque linguam hoc discrimen; quòd verborum illa ad concentum, qui judicatus fuerit optimus, disponendorum libertate commodissimâ gaudeat: *haec 3 contra fit serva legum perpetuarum, quibus oportet omnes voces ita gubernata-*

- 3 Servilem, de quâ loquor, verborum dispositionem loco isto, quem idcirco putavi diversis esse literis exprimendum, adhibere, ut fit in oratione gallicâ, volui; & istis legibus, quas ignorat Latinitas, mihi per ipsam obtemperare parumper licuit: tantam illa videlicet nostram esse vult scribendi libertatem, quantam requirit adhibenda stili varietas, quantamque sensus aurium doctus ac delicatus postulat. Cujus quidem libertatis afferri ex Auctoribus optimis facilè possent exempla, quibus eadem sententiæ omnibus ferè modis expressæ demonstrarentur: sed tantùm notabimus, sic locutum esse Terentium, Andr. Act. I. Sc. 5. V. 47.

Etiam nunc mihi

Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis.

Sic locutum Ciceronem, de sinib. bon. & mal. Lib. V. Cap. I. *Venit mihi Platonis in mentem.*

Sic locutum Horatium, Lib. II. Sat. I. V. 60.

Quisquis erit vitæ, scribam, color.

Jam verò qui scripsisset:

Etiam nunc mihi

Scripta in animo sunt illa dicta Chrysidis:

ri, ut non possint recedere vel levissimè de statione præscriptâ, quin faciant offensusculam. Unde evenire prope necesse est, ut, qui linguam gallicam, commoratione apud ipsos Gallos diutinâ, & exercitatione longâ, propriam sibi quodammodò non reddiderit, at ex folis libris perceperit; is, in opere præsertim paulò longiore, mendis interdum ridiculis illam inficiat.

Tum deinde velim considerari, quid Paulus Manutius, quid Marcus-Antonius Muretus, (ut alios complures omittam) legendo atque imitando Auctores latinitatis optimos, profecerint. Hic epistolas, ille orationes, summâ ambo curâ atque industriâ, scripserunt. Quid porrò contigit? utrumque fetum annis abhinc ducentis eruditi lectores evolverunt, & admirati sunt: Critici sagaces excusserunt; & qui latinitatem in plerisque *argenteae*, quam vocant, ætatis scriptoribus paulùm de statu

Qui scripsisset: *Platonis mihi venit in mentem:*

Qui scripsisset:

Scribam, quisquis erit vitæ color:

Is certè latinè scripsisset: hinc autem concludendum illud ipsum relinquimus, quod pluribus argumentis explicare superfedemus.

---

pristino declinantem animadverterant, vix quidquam, quod non ætatem *auream* omnino redoleret, in hâc omni scriptione deprehenderunt. Neque objiciendum nobis est, illam ipsam non idoneorum esse judicum approbationem; quippe qui tam errare in dijudicandâ latinitate, quàm isti in latinè scribendo, potuerint: in re enim hujuscemodi, quæ rationem hominum ac diligentiam minimè superat, errari universè totis ducentis annis, verisimile non est. Quod ut confirmetur exemplis, nonne hos intra ducentos annos stilius Lipsianus, quem statim amplexati sunt imitatores pessimi complures, mox à peritis iudicibus rectè damnatus est? nonne Thuanum, nonne Stradam, nonne alios, qui tantis primùm laudibus excepti fuerant, postmodùm animadversum est, non esse latinitatis auctores vel satis ingenuos, vel etiam satis accuratos? atque, ut meamet ipse vineta cædam, nonne has Fabellas, quas properanter nimis, parumque consideratè, semel, atque iterum, atque tertio in lucem emisi, recognovi demum, & nunc offero meliore, ut opinor, stilo retractatas, à maculis etiam vin-

dicatas nonnullis, quas incuria nostra fuderat? Verùm Mureti, Manutiique opera modò laudata, cùm suffragationibus peritorum omnium tam diuturnis comprobata sint, bene latina esse, fatendum est.

Postremo si quis vulgarem gentis alicujus exteræ linguam, solâ librorum ope adjutus, optimè didicerit; ille certè linguam latinam eadem viâ perdisci posse, tali exemplo demonstraverit, maximè, si qua duas inter linguas istas cognatio peculiaris intercesserit. Atqui Menagius, hanc viam secutus, ad tantam linguæ italicæ, cui cùm latinâ similitudo singularis est, cognitionem pervênit, ut eam quàmvis usurpare colloquendo <sup>4</sup> nesciret, scriptis tamen expresserit accuratè, doctisque etiam commentariis illustraverit. Legere me quidem memini apud Auctorem Gal-

4 Menagiana, Tom. II. pag. 59. Edit. 1715. *Les Seigneurs Italiens qui me font l'honneur de me venir voir, sont étonnés de ce que je ne parle pas Italien, sachant les ouvrages que j'ai fait imprimer dans leur langue, & que j'en ai même donné les origines.* Et tom. 3. pag. 404. *J'ai composé plusieurs livres en Italien; & je ne parle pas Italien.*

lum nescio 5 quem, versiculos Menagii nostri italicos ab hominibus Italis 6 irrideri. Ego vero facilè concedam, ejus argutias, omnemque poeticam facultatem non valde probari: at linguæ imperitiam non magis in ipso irrideri puto, quàm in Francisco-Seraphino Regnerio, homine itidem Gallo, cujus redditum versibus italicis Anacreontem ultro laudant Itali, fatenturque stilo esse suavissimo concinnatum. Nihil, opinor, profit refellere pluribus homines malevolos, qui studiis nostris adversantur. Ex dictis facilè colligent æqui judices, bene latinè, his etiam temporibus, scribere eos posse, qui ad percipiendam veteris illius optimæ Romanæ linguæ vim atque copiam paulò benigniùs à naturâ

5 Hunc postmodùm esse comperi Ioannem Clericum, cujus, Parrhasianorum tom. 1. pag. 5. hæc verba sunt: *On sait que les Italiens s'en moquent ( des vers italiens de Mr. Menage ) & qu' ils y trouvent de tres grandes fautes.* Sed peritis ex Italis audivi, cum vehementer illum errare dicerent.

6 Auctor famâ celebratissimus, qui ævum Ludovici XIV. commentatus est, aliter sentiebat; sic enim de nostro Menagio loquitur: *Ses vers italiens sont estimés même en Italie.*

---

informati, sese in hâc palæstrâ diligenter exercuerint.

III. Nunc dicam, quid efficere conatus sim, ut eruditi Lectoris approbatione non indignam editionem hanc nostram redderem. Primum in recognoscendis & castigandis prioribus quinque harum Fabellarum libris operam sanè magnam posui. Plurimos versus, qui vel nimis abjecti, vel paulò asperiores visi sunt, ad aliquam speciem, numerosque molliores, quantum sivit propositi simplicitas, adduxi. Latinitatis formam sub regulas purè & emendatè loquendi exquisitiores passim redegi. Nonnullas voces minùs latinas, minùs proprias, minùs aptas ad consuetudinem Veterum, minùsve hodie usitatas amovi; feliciores in earum locum substitui. Sententias ipsas, aliquando non fatis inter se cohærentes, copulationibus idoneis continuavi. Quædam à me etiam sunt interdum adjecta, quæ, ut probabilior existeret Apologorum veritas, requiri videbantur: quædam vicissim, quæ esse planè supervacanea judicabam, sublata sunt.

Talis autem laboris molestiam cùm suscipere paulùm refugerem, viri aliquot exculti

---

politioribus doctrinis mihi stimulos admove-  
runt: quorum unus 7, eruditione insignis,  
magnumque Academiæ Parisiensis ornamen-  
tum, eo me honore dignatus est, ut meas  
Fabellas attentè perlegeret, Criticum ageret in  
re tam levi, utiles demum animadversiones  
mecum perbenignè communicaret.

Ego verò sic undique excitatus, libris ha-  
rumce Fabellarum quinque prioribus non modò  
adjeci quinque alteros, sed opus eò deduxi,  
ut libros quindecim, uberioribus etiam com-  
mentariis locupletatos, exhiberet. Prætereà  
Scriptores indicavi quamplurimos, à quibus  
materiam eandem, aut prope eandem, quam  
mihi sumpsi, tractatam fuisse comperi: notatio-  
nesque grammaticas, aliquando etiam histori-  
cas, ex Auctorum veterum selectis testimoni-  
is plerumque conflatas, apposui. Quæ omnia  
sub aspectu legentium ad imas quasque pagi-  
nas, de prudenti hominum peritorum consilio,  
subjeci, majorem hanc ipse ratus opportuni-  
tatem fore, quàm si ad calcem rejicerentur.  
Itaque munus hoc pacto satis amplum, ni

7 J. B. L. Crevier, Livianæ Editionis doctus &  
luculentus auctor.



---

fallor, fatisque solidum, ex nimiùm tenui, nimiùmque levidenti munusculo, benevolis Lectoribus confeci.

Quas autem Fabellas fuisse jam ab aliis concinnatas significo, eas mihi plerumque more modoque meo diverso proprias feci. Nam si quasdam veteres Æsopicas, Æsopi ingenio dignas; quasdam Gabrielis Jaii; nonnullas Henrici Richerii; satis multas Joannis Fontanæ, à quibus, quàm minimè possem, mihi recedendum esse intelligebam, exceperis: ceteras fere omnes (ut latinè & ingenuè loquar id quod sentio) non modò figuravi, & & expolivi; sed adduxi etiam ad rectum ordinem, atque interdum sub potestatem sensùs ipsius, qui dicitur communis, redegi. Quòd porrò Fontanam non ubique vestigiis ipsius persequi conatus sim; & quòd Fabellas ejus tam rarò fidus interpretes reddiderim: nemo id vertere mihi vitio debet. Non ita sum obdurescere solitus ad ingenuam Gratiarum festivitatem, ut opus, quod ipsæ concinnaverint, non admirer. Fontanam ergo excellentissimum esse Apologorum scriptorem, & probè intelligo, & ultro prædico. At quemadmodum

permulti sunt urbanitatis latinæ flores, qui nullis effingi accuratè possunt coloribus gallicis, ita sæpe latini colores nulli suppetunt adeò molles, ut venustates Fontanæ gallicas præsentare valeant. Nimirum varias linguas doctrina, prudentia, usus, exercitatio variis opibus facilè augent ac perficiunt: has autem universas opes, id est, vim atque copiam prope infinitam conferri simul in unam aliquam linguam, non finit ipsa, sive providentia Divina, sive humanæ naturæ infirmitas.

## C A P U T II.

*Apologorum scriptores, qui citantur passim in his quindecim Fabularum Aesopiarum libris, fere omnes recensentur.*

I. ÆSOPUS, natione Phryx, conditione servus, in libertatem ab Idmone quodam vindicatus est. Dicitur in Eusebii chronico interceptus anno primo Olympiadis quinquagesimæ quartæ. Sed hanc notationem temporis evertunt, quæ à Plutarcho memorantur in libro de ferâ Numinis vindictâ, missum nempe Æsopum fuisse Delphos à Cræso Rege, apud

quem florebat : Crœsus enim anno tantùm quarto Olympiadis quinquagesimæ quintæ, annis fere ante Christum natum 557, regnare cœpit. Fabulæ sub ejus nomine exstant hodie 297, quarum 136 primùm anno 1610 è Bibliothecà Palatinâ prodierunt. Plura autem de ipso vide à nobis commemorata Fab. Prol. Lib. VII. & VIII.

II. **LOCMANUS** Thomæ Erpenio, qui Fabellas ejus edidit, videtur eodem fere, ac Æsopus, tempore vixisse. Immo eruditi viri complures, quibuscum ipse Erpenius non multùm dissentit, eundem, qui Græcis Æsopus fuit, Persis habitum esse Locmanum existimârunt. Dicuntur Fabellæ istæ è persicâ linguâ in arabicam elegantissimo stilo fuisse conversæ. Satis quidem facetæ, fatisque simplices ex interpretatione latinâ demonstrantur plerumque: at interdum sententias vel insulas, vel parum probabiles exhibent. Numero sunt omnino triginta septem: quarum decem & octo Tanaquillus Faber, Cadomensis, versibus latinis senariis reddidit, vel potiùs amplificavit; atque auxit quidem laude non mediocri, quanquam est ejus ratio narrandi paulò verbosior.

Obiit autem Faber Salmurii die 12. Septemb. an. 1672. ætat. 57. vir præditus ingenio peracri, variâque & exquisitâ doctrinâ instructus.

III. PHÆDRUS, forte servus, gente autem non Thrax, ut vulgò traditum est, at Macedo, ut equidem reor, & in novâ Fabularum ejus editione, brevè forsan proferendâ in lucem, demonstrare mihi videor, in eâ Pierii montis parte, quæ ad Macedoniam pertinet, natus est. Vixit temporibus Octavii Augusti; in cujus domo educatus, libertatem ab ipso recepit. Puer admodùm latinis literis eruditus est: postea genio suo, paulùm maligno, vasroque, nimiùm indulgens, calamitates sibi illas facilè arcessiverit, quarum historiam narramus, Prol. Lib. X. Accusatori suo Sejano superstes, adhuc sentiebat <sup>1</sup> non parum abesse, quin fieret senio debilis. Infortunio edoctus, suppressisse <sup>2</sup> fabellas suas videtur. Postmodùm amico cuidam inertiam ejus increpanti, grandiore ætatem suam <sup>3</sup> excusavit. Itaque ad annum Christi 43 facilè

<sup>1</sup> Phædr. L. 4. Epil. V. 16.

<sup>2</sup> Ibid. V. 34.

<sup>3</sup> L. 5, Fab. ult.

pervenerit ; quo anno Seneca ad Polybium scribens , Fabulas Phædri nostri non sibi fuisse cognititas indicat 4. Sunt enim à morte Sejani ad hoc usque tempus anni non ampliùs duodecim. Jam ergo mirandum tantopere non est, quòd Seneca vel prorsùs nesciverit , vel sic fuerit locutus , tanquam nescisset , an *Fabellas & Æsopicos logos* Phædrus unquam tentasset.

IV. APHTHONIUS Sophista , sive Rhetor , Antiochensis , sub finem secundi , aut initio tertii post Christum natum seculi floruisse creditur. Ejus Fabulæ , numero quadraginta , græcè & latinè unà cum ejusdem *progymnasmatibus* sæpius editæ sunt. Has autem separatas in suam collectionem Apologorum compegit , suisque castigationibus illustravit Neveletus. Stilo fatis eleganti conscriptas , ratione etiam ordinis , ac dispositionis fatis idoneâ præditas invêni.

V. RUFUS FESTUS AVIENUS , qui librum de oris maritimis carmine iambico scripsit , qui Dionysii Afri descriptionem orbis , Aratique *Phaenomena* versibus hexametris expressit , an Anienus , vel Abienus , vel Anianus , vel de-

4 Consol. ad Polyb. C. 27.

nique (sic enim variant manuscripti codices) Avianus ille sit, cujus existant Fabulæ Æsopicae quadraginta duæ elegis expressæ, non satis compertum est. Horum tamen omnium unus idemque auctor apud plerosque Criticos habetur Rufus Festus Avienus. Quo autem seculo vixerit, quâ sit domo, vel gente oriundus, non magis liquet. Illum enim floruisse dicunt alii Diocletiani, alii Antonini Pii, vel Hadriani temporibus, neque testimonium ullum, ullamve rationem idoneam subjiciunt. Jacobus autem Sponius cum Romæ in Villâ Cæsariani reperisset Festi Avieni Proconsulis epigramma, in suâmet ipsius memoriam compositum, atque in marmore inscriptum, divulgavit & Avieni nostri fetum esse pronuntiavit 5. Deam porrò Nortiam veneratur auctor hujus epigrammatis; & se Vulsinii (quod nunc est Italis *Lago di Bolsena*) natum declarat. Tum colligendum erit floruisse hunc ante annum Christi 378: quo anno Valens Imperator flammis extinctus est: Suidas enim Festum Avienum memorat à Valente missum in Asi-

5 Jac. Spon. Itiner. Tom. II. pag. 148. & Lib. de ignotor. Deor. aris, pag. 41. & seq.

am fuisse Proconfulem. At Petrus Melian Hispanus, qui Avieni nostri opera, quæ supersunt, collegit, & anno 1634. Madriti edidit, satis rectè ex eo, quòd Auctor, libro de Oris martimis vers. 83 & 180 fretum Gadi-tanum, Malacæque portum ad suam perti-nuisse gentem indicet, Hispanum eum fuisse concludit. Prætereà Luitprandi Ticinensis Diaconi verba refert, memorantis, Avienum no-strum *virum catholicum, & Hispanum, civem-que Eborensem, in Hispaniæ Carpetaniâ* (quæ hodie Talavera de la Reyna vocitatur) *eodem 6 & die & anno, quo sanctus Augustinus ascendit ad Caelos, obiisse.* Et hæc quidem cum Aurelii Theodosii Macrobbii ætate aptissimè conveniunt; quem esse illum ipsum Theodosium, cui suas Avienus Fabellas dedicat, plerique Critici existimant. Disceptationem suscepisse de tali Scriptore tam molestam, me prope pœnitet. Ejus enim Fabellas quis peritus & incorruptus Judex, si diligenter examinet, non fateatur, esse plerumque inficetas: interdum legibus metricis, sæpe elegantix latini sermonis, vel etiam proprietati verborum adver-

6 Anno 430. die Aug. 28.

fari ; multò sæpius artificio , five ordinandi res prudenter , aptèque connectendi ratione indigere : neque dignas esse , quas Petrus Crinitus , Gaspar Barthius , Philippus Brietius , aliique tam benignè laudarent ?

VI. G A B R I A S , qui & Babrias , & Babrius ab aliis nominatur , Apologorum , versibus græcis scazontibus expolitorum , libros , ut refert Suidas , decem confecerat. Sed qui hodie Apologi sub ejus nomine circumferuntur , ii omnes , excepto uno , scripti sunt versibus iambicis. Memorat Vossius , hos in quibusdam codicibus manuscriptis adscribi Ignatio Diacono : quod & ante Vossium , se comperisse declaravit Fabius Paulinus. Is ergo fuisse mihi videtur Ignatius ille Diaconus , qui Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani vitam memoriæ mandavit. Ibi enim num. 56. narrat se à Tarasio initiatum rite faciendis trimetris 7 , tetrametris , trochaicis , anapæsticisque , & he-

7 Postmodum docuit nos Reimmannus , pag 177. esse in Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi græcum codicem , inscriptum : *Ignatii magistri tetraesticha iambica ex Fabulis Æsopis*. Gabriæ autem Fabellæ omnes tetraestichis , five quatuor versuum angustis , comprehenduntur.



roicis versibus. Trimetri autem versus iidem sunt qui vulgò iambici vocantur. Porrò hunc Auctorem non multò post annum Christi 806 scripsisse Tarasii vitam comperio. Nunc ut non-nihil de Fabellis dicam, quas ab eo retractatas esse puto: has animadverti incitè admodum tetraſtichis, sive quatuor versibus, singulas includi, vel potiùs constringi plerumque ac suffocari.

VII. SEB. GOTOFR. STARCHIUS Specimen sapientiæ Indorum veterum græcè primus edit Berolini anno 1692; interpretationemque latinam adjunxit. Liber est colloquiis brutorum inter se politicis, studio sanè parum solerti institutis, refertus. Hunc annis ante Alexandrum Magnum trecentis ex indico sermone in arabicum fuisse conversum, testatus est Abrahamus Echellensis: ego verò confictum suspicor à Simeone Setho Græculo, qui anno Christi, circiter 1100, vivebat. Ibi certè Monachorum & Eremitarum creberrima fit mentio; novique Testamenti quædam sententiæ adhibentur, quæ venire in mentem priscorum Arabum, Indorumve non potuerunt. Ceterùm pravo ac nonnunquam barbaro stilo opus om-

ne pertextum est: Fabellas tamen satis rectè compositas tres, quatuorve continet. Liber qui sub Pilpæi Indi nomine circumfertur, ab isto minimè discrepat.

VIII. Sub SANCTI CYRILLI nomine Apologos morales edidit Balthasar Corderius Viennæ Austriæ, anno 1630. Nunquam illos, nisi hoc ipso latino sermone, planè barbaro, qui exhibetur, scriptos fuisse existimo. Auctor eorum ineptus non vixisse nisi post seculum decimum secundum videtur.

IX. ANONIMUS ab Isaaco-Nicolao Neveleto unà cum Æsopo, Aphthonio, Gabriâ, Phædro, Avieno, Laurentioque Abstemio editus Francofurti anno 1610, jam antea, nec semel, at mendosissimè prodierat. Scriptor est incurfione verborum ac sententiarum importunâ horridus; dicacitatis appetens, ineptiarum prodigus; aliquando tamen ridiculè facetus, ac prope ingeniosus. Alii dictum hunc nomine Romulum, alii vocatum Salonen, & gente Parmensem fuisse volunt: vixisse autem seculo duodecimo opinatus est Lyl. Gregor. Gyraldus: ego verò parum id omne interesse rei literariæ existimo.

---

X. R I M I C I U S, Guilelmus Hermanus, Hadrianus Barlandus, ac Laurentius Valla, omnes, præter Vallam, grammaticum illustrem, planè incogniti, Fabellas Æsopicas partim è græcis latinas fecerunt, partim è ligato sermone in orationem solutam transfulerunt. Has autem collegit Robertus Stephanus, & unà cum priore Laurentii Abstemii Hecatomythio, at paulùm decurtato, in lucem emisit anno 1529. Sordida est ista farrago, sed aurum continet.

XI. L A U R E N T I U S A B S T E M I U S seculo post decimum quinto exeunte florebat. Fabellas 198, quarum primam partem Hecatomythium vocavit, sermone scripsit latino soluto. Stilum adhibuit simplicem, sæpe optimum, aliquando nimis abjectum ac prope barbarum. Quasdam etiam narrationes jocos honestis inferuit homine christiano atque ingenio profusè indignas.

XII. G A B R I E L F A E R N U S, Cremonensis, bonus poeta; Criticusque insignis, bene de Terentio meritis, obiit Romæ die 17. Nov. an. 1561. Centum Fabulas, vario carminum genere explicatas, moriens reliquit. Quæ figuris, ex-

ære inciso expressis, elegantibus adornatæ prodierunt Romæ anno 1564, atque Carolo Borromeo Cardinali sanctissimo dedicatæ sunt. Has longo post tempore vir, ut accepi, non illiteratus, nomine Mayolus, in libros quinque distributas, anno 1697, Parisiis edidit. Cujus quidem editionis inscriptio talis est: *Phædrus alter, seu Gab. Faerni Cremonensis Fabulæ ex Æsopo aliisque priscis Auctoribus, Pii IV. Pont. max. hortatu scriptæ, & jussu editæ anno 1564, nunc primum in Galliâ, novoque ordine prodeunt, ad usum Scholarum accommodato.*

XIII. CÆSAR PAVESIUS, qui Petrus Targa appellari maluit, Fabellas primus, ni fallor, Italorum italicis versibus composuit. Eas, numero centum & quinquaginta, bonas oppidò, prudenterque ac venustè concinnatas, vulgavit Venetiis anno 1569: sed epistolam, quâ librum dicat, scripsit anno 1558.

XIV. JOANNES MARIUS VERDIZOTUS, exemplum Pavessii secutus, centum Fabulas, versibus pariter scriptas italicis, emisit in lucem anno 1570, venetiis, cum figuris, quas ipse delineaverat. Hic animadvertere licet, Fabulam de Rustico, ejusque Filio, & Afello,

quam Verdizoto attribuere videor, L. 14. Fab. 10. ab alio, si vera lectores docet bibliopola, fuisse compositam; atque hanc etiam numerum excedere centenarium: sed auctor quoniam est incognitus, auctorem notum, cujus Fabulis adjecta illa est, appellandum esse judicavi.

XV. JOACHIMUS CAMERARIUS anno 1500 Papebergæ, sive Bambergæ in Franconiâ natus est; Lipsiæ autem, anno 1574, de vitâ decessit, relictiis variæ literaturæ innumerabilibus monumentis minimè contemnendis; inter quæ non postremo loco habendæ sunt Æsopi-cæ Fabulæ, plures quingentis, ab ipso curâ magnâ atque diligentîâ undique collectæ & ad latinitatem uniusmodi, eamque fatis puram, redactæ. Thesaurus ille est Apologorum uberrimus, & ab omnibus, qui res amant ejusmodi, studiosè comparandus, quàmvis multa non fatis scitè excogitata, quædam etiam prorsùs inepta contineat.

XVI. PHILIBERTUS - HEGEMON GUIDE, Cabillonensis, anno Christi 1595, ætatis autem suæ 60, fato functus est. Fabellas viginti duas gallicis versibus scripsit parum quidem

---

eleganter, parumque doctè, ita tamen, ut in eo simplicem illam veterum poetarum nostratium non injucundam narrandi rationem agnoscere liceat. Ille autem in meis notationibus Philibertus Hegemon, omisso vero nomine, ideo appellatus est, quia non aliter in suis opusculis appellari ipse voluit: quæ opuscula cum nequaquam obvia sint, inscriptionem eorum en legendam offerimus: *La Colom-biere & maison rustique de Philibert Hegemon, de Châlon sur Saone: contenant une description des douze mois & quatre saisons de l'année: avec enseignement de ce que le Laboureur doit faire par chacun mois. L' Abeille françoise du même Auteur: ses fables morales, & autres poësies: & les louanges de la vie rustique, extraites des oeuvres de G. de Saluste sieur du Bartas. A Paris chez Robert le Fizelier. 1583. in-8. pag. 150.*

XVII. JACOBUS REGNERIUS Bealni in Burgundiâ natus est die 6 Januar. anno 1589, patre Benjamino Regnerio caufarum patrono. Literis excultus, pueros nobiles custos ac præceptor, pactâ mercede, rexit, instituitque. Deinde operam corrigendis libris apud Typographum locavit. Medicam denique ar-

---

tem propriam sibi assumpsit: cujus artis doctor est nuncupatus Cadurci die 3 Decemb. an. 1624. eamque demum in fortunam devènit, ut inopiâ perditus, variisque morbis, & calamitatibus aliis permultis consumptus periret die 16 Jun. anno 1653. Apologos ille Divione anno 1643 centum edidit; quos distribuit partes in duas, atque Phædrios inscripsit. Longè quidem Regnerius noster ab Auctore optimo, quem sibi propofuerat imitandum, recessit: sæpe enim & verba & res ipsas malè temperat, itilumque etiam aliquando non fati latinum adhibet: narrandi tamen jocandique ratione utitur plerumque non inficetâ; specimenque nativi cujusdam lepôris interdum expromit.

XVIII. JOANNIS FONTANÆ fabellas qui nescit, barbarus est; qui legit, nec amat, nec sentit ingenii excellentis monumentum esse pulcherrimum; is profectò festivitatem ipsam atque venustatem ne de facie quidem novit. Illud maximè mihi in tanto poetâ videtur admirabile, quòd, licèt inter ejus Fabelas quædam occurrant, quas fortè, postquàm lêgeris, si mentem seriò ad ipsam argumenti

naturam referas, non multùm approbes, nulla tamen omnino fit, quam non approbare debeas, dum legis. Plumbum ille ab aliis fumpfit aliquando mutuum; sed aurum semper reddidit. Ornatus hâc laude vir summus ac singularis, patriam, non acerbitate malevolorum ullâ, sed rei pecuniariae inopiâ coactus, fugisset, atque in Angliam trajecisset, nisi subveniret egenti quorundam humanitas, provideretque, ne Galliæ ista labes aspergeretur. Obiit Lutetiæ Parisiorum anno 1695. d. 13. Martii, cùm ageret quartum & septuagesimum annum, Ioannes Fontana, sive *De la Fontaine*, Campanus, Castro-theoderici natus anno 1621. d. 8. Jul. ex honestissimâ familiâ. Biennio, antequàm moreretur, toto, prioris vitæ flagitia ingenuè ac perseveranter deflevit, atque, ut spero, expiavit.

XIX. Sex Fabellarum libros Fontana jam ediderat, cùm Antonius FURETIERE Parisinus Apologos quinquaginta scripsit, vulgavitque anno 1671, at infelici prorsùs eventu: quippe quos oblivione vivus vidit obrutos sempiternâ. Annis ab eorum interitu septem circiter ac decem mortuus ipse est post annum ætatis suæ octavum & sexagesimum.



XX. ISAACUS DE BENSERADE Normannus anno 1691 obiit fere octogenarius. Fabulas Æsopicas, unam & viginti supra ducentas, totidem tetraſtichis incluſas, anno 1678 publicàrat. Quam legem tetraſtichorum iniquiſſimam ſi non imprudenter ſibi ipſi impoſuiſſet, rem exſecuturum illum fuiſſe longè feliciùs, ex eo licet conjicere, quòd plerumque, ubi materia ſpatium liberum habebat, ſatis lepidè hanc expolivit.

XXI. ÆGIDII MENAGII Andegavi, Pariſiis anno 1692 demortui, Fabellæ exſtant latinæ quinque inter varia ejusdem carmina, non illepidæ, ſtiloque ſatis accurato conſcriptæ.

XXII. JOANNES COMMIRIUS, Turonenſis, migravit è vitâ Pariſiis anno poſt partum Virginis 1702, cùm annum ipſe ætatis ſuæ ſeptimum ageret ac ſeptuageſimum. Non alium novi Apologorum ſcriptorem latinum, qui plus lepôris ac feſtivitatis adhibuerit. Affluentem ſermonis copiam paulò ſeveriùs coercuiſſet; maluiſſet videri ſimplex, quàm ingenioſus; maculas etiam nonnullas, quas incuria fuderat, ſtudio diligentiore deleviſſet: illum ego certè Phædrum alterum longè veriùs, quàm

Faernum, qui paulò quidem simplicior est, at multò minùs elegans, appellandum esse judicarem.

XXIII. EUSTACHIUS LE NOBLE, Campanus, Parisiis anno 1711 mortuus est. Fabellas ducentas anno 1699. edidit 8, quas singulas non modò versibus gallicis omnino sex, at latino etiam disticho complexus est, labore profectò puerili ac minimè necessario. Has tamen inter latinas nonnullæ, inter gallicas autem multò plures occurrunt, quas esse pretii alijus haud negaverim. Sed & comœdiam ille Æsopicam, Apologis non inelegantibus refertam, concinnavit, exemplum Edmundi *Boursault*, Burgundi, Parisiis anno 1701 mortui, secutus: qui, datâ ejusmodi comœdiâ anno 1690, magnos plausus, nec indebitos, excitaverat.

XXIV. GABRIEL - FRANCISCUS LE JAI, Parisinus, obiit anno Christi 1734, ætatis suæ septuagesimo septimo. Confecerat labore & industriâ non inutili, edideratque Parisiis an-

8 Alias, numero centum circiter, longè uberiùs, non multò feliciùs expositas, jam duobus ante annis ediderat.

no 1725 Bibliothecam Rhetorum: cujus primum volumen, pag. 739-755, scriptas oratione solutâ Fabellas triginta sex; alterum pag. 739-758, versibus fenariis explicatas viginti quatuor exhibet. In hisce porro Fabelis, prioribus præsertim, multa eleganter, nonnulla etiam facetè atque ingeniosè concinnata reperiuntur.

PETRUS BURMANNUS, celeberrimus Criticus, Lugduni Batavorum, anno Christi 1741, ætatis autem suæ 72, vitam cum morte cummutavit. Is cum Phædri Fabulas anno 1719 ederet, adjecit, tanquam hujus appendicem, Apologos & Gudianos quinque, & alios viginti & novem, à se *ex Rimicio, Anonymo, & Romulo Nielantii, in metrum redactos*. At providere illum oportuit, ne argumenta, quæ ineptè composita reppererat, tam negligenter emendata relinqueret.

XXV. HENRICUS RICHERIUS, Normannus, Parisiis, anno 1748 die 12 Martii, de vitâ decessit sexagenario major. Quamvis ille conatu aliquando minùs felici facetus esse voluerit; neque satis virtute quâdam poëticâ pollere videatur: scriptor tamen Apologorum

gallicorum nullus, meo judicio, existit, qui ab elegantia Fontanæ, vix & ne vix quidem imitabili, propiùs abesset. Reliquit ille certè longè remotos infra se, & Antonium-Ludovicum *Le Brun* fato functum Parisiis anno 1743, & Antonium *Houdart de la Motthe* ibidem anno 1731, demortuum: atque hujus quidem fabellæ prope omnes demonstrant, ab hominibus antiquitatis aureæ contemptoribus, quàmvis alioquin ingeniosis, res plerumque & excogitari parum plausibiles, & infelici prorsùs artificio concinnari. Hanc censuram cùm ægre ferret Scriptor quidam, in primis honestus & probus, bonæque fide admirari solitus Antonii sui Fabulas; is me in opere quodam, valdè spisso, redarguit leniter quidem, namque homo est minimè malus, verumtamen redarguit: ac postquàm objecit, Antonium suum esse illustrem; Antonium verò illum Ludovicum prope ignotum; egregiè me esse refutatum putavit. Abjectus reverà, neglectusque Auctor est, Antonius Le Brun: neque, opinor, Fabulæ ejus unquam è tenebris extrahentur: quàmvis enim res plerumque satis prudenter inventas, fatisque simpliciter expositas habeant; lepôre tamen poetico

fere omni deficiuntur. Houdartus autem scriptor insignis est: nihil repugno: tantum velim animadverti, celebritatis illum habuisse causas & à suis aliquot bonis operibus, & ab ipsâ Fabularum suarum admirabilitate <sup>1</sup> ridiculâ. Fatebor ultro, quasdam ex istis Fabulis non esse invenustas, tertiamque Libri secundi, de Puero & Avellanis, jure dici posse optimam: sed quid mirum, si vir ingeniosus, in re quâvis desudans, habuerit aliquando prosperos exitus? Hoc nihilominus contendo, artem excogitandi, narrandi, jocandi in hominis nostri Fabulis plerisque vix elucere; perstrepere autem sæpius loquacitatem importunissimam; ac permulta stili rudis & asperi exstare vestigia; versusque passim occurrere inelegantes & prope horridos <sup>2</sup>. Quod & ipsa puerilis

<sup>1</sup> Eas autem Critici quanquam, universè loquendo, ridiculas esse jam diu pronuntiârunt; esse tamen ingeniosas, haud infitiati sunt; atque ego certè non infitior: sed cùm speravissem amplam ex ipsarum lectione messem; postquam omnes diligenter pervolutavi, decem tantum & tres circiter colligere licuit, quas versibus latinis redderem, vel potiùs imitarem.

<sup>2</sup> Notus est Liber, cui titulus: *Les Fables de M.*

ætas, duce Naturâ, sentire possit: nam cùm olim Fabularum istarum Ponsius 3 admirator, laudatorque maximus, unam ex omnibus selegisset, pueroque sexenni, qui Fontanæ Fabulas retinere perfacilè memoriâ solebat, addiscendam tradidisset; nullo pacto puer addiscere illam potuit.

*Houdart de la Motthe, traduites en vers françois par le P. S. F.*

In toto Libro nil melius titulo.

*Joach. Bellaius, pag. 19.*

- 3 *L'Abbé de Pons*, in quem factum est illud epigramma gallicum:

L'Abbé de Pons ce petit homme  
 Nous vante La Motthe, & le nomme  
 Un genie, un auteur divin:  
 Tout est geant aux yeux d'un nain.

## APPENDICULA.

I. Leo - Baptista Albertus, Italus, seculo supra millesimum decimo quinto floruit: ejus Fabulae centum, italicâ simul & latinâ linguâ expressae, prodierunt Parisiis, anno 1693, edit. in 12.<sup>mo</sup> in quâ editione, Auctorem floruisse anno 1540, falsò dicitur.

II. *La Veritè fabuliste*, Comedie, avec un recueil de Fables, par Mr. de Launay. Rouen. 1733. in 12.

III. *Fables nouvelles*, par Mr. D. D. L. P. D. C. Paris, 1744 in 12.

IV. *Recueil de Fables nouvelles*, par Mr. d' Ardène. Paris. 1747. in 12. Is Massiliae, in suâ patriâ mortuus est d. 27. Mart. an. 1748.

V. *Fables nouvelles*, par M. l'Abbé Aubert, de l'Academie Françoisè. Vide notat. ad Fab. ult. Lib. 13.

Alii scriptores Fabularum existère permulti; de quibus nihil hîc à me commemorari, neuti-  
quam, ut spero, mirabitur, qui nullam eorum  
in Fabellis meis factam fuisse mentionem ani-  
madverterit.



## P R Æ F A T I O

*Primae Editionis (in 8<sup>vo</sup>) Glasguae: in Aedibus  
Academicis excudebant Robertus & Andre-  
as Foulis, 1754.*

**F**ABULARUM, quas hinc à me in lucem  
protrahit viri \* docti, nimis fortè amica,  
at verenda mihi auctoritas, omnium ferè est  
inventio antiqua. Polivimus autem illas se-  
nariis versibus, & eo cultu, quo indigere visæ  
sunt, ornavimus. Ea laus nobis (si qua ta-  
men in tam levi opere laus est) quò minùs habet  
invidiæ, eò faciliùs, uti speramus, concedetur.

Demptis itaque paucis, quas ipsi invênimus,  
ceteras excerpsumus, plerasque ex iis, quæ  
sub Æsopi, Gabriæque nominibus circumfe-  
runtur; nonnullas autem è priore Laurentii  
Abstemii hecatomythio: quasdam etiam scrip-  
toribus aliis debemus, quos fortè, inter le-  
gendum, argumentorum ejusmodi auctores  
habuerimus, quosque hic commemorare, quàm  
difficile nobis foret, tam nos leve operæ pre-  
tium facturos credimus.

\* Claudii Salerii.



At monere certè nos decet, inter Fabulas, quas olim edidit Robertus Stephanus Parisiis anno 1529. in 8vo, versas è Græco in Latinum à viris, ut titulus quidem præfert, doctissimis, at reverâ plerumque ineptis, repertas esse à nobis haud paucas, quæ labore ferè nullo sub metricos pedes redigerentur: ita ut miraremur, eas tam facilè, tamque celeriter posse concinnari; scriptasque primùm senariis versibus, ac deinde, sive librariorum incuriâ, sive malo imperitorum hominum studio interpolatas fuisse, suspicaremur.

Et eò quidem impellebant nos momenta rationum quædam non absurda: nam primò in hâc Fabularum farragine legitur pagina 154: *Aniani fabulae triginta octo, Gulielmo Hermano, Divi Augustini Canonico, interprete.* Ipsæ porro Fabulæ illæ sunt, non Aniani, sub quo nomine Fabulæ neque græcæ, neque Latinæ ullæ memorantur; sed Aviani, cujus extant quadraginta duæ: quas iste interpretis elego carmine scriptas cum invenisset, dissolvere maluit, atque diffingere. Tales ergo elegis mutationes, conversionesque cum evenerint, quantò faciliùs contingere senariis potuerunt?

Qui senarii adeò parum sunt à familiari, solutoque fermone diversi, ut pro illo habiti sæpè à librariis fuerint, atque in vetusto Fabularum Phædri codice manuscripto Remensi ordinibus literarum plenis, sine ullâ ipsorum distinctione, sint exarati. Secundò, idem Gulielmus Hermanus fabulas alias quadraginta quatuor, quæ in eodem libro reperiuntur, vertisse se dicit ex oratione ligatâ in solutam. Tertiò denique Fabulæ ibidem permultæ, cùm ab hocce, tum ab aliis interpretibus, ex oratione Græcâ translatae frustra nobis memorantur, cùm nullas inter græcas, quæ quidem extent, compareant: immo verò non paucas earundem fuisse desumptas è Phædro, quivis plane intelligat.

Posteà verò quàm varia Scriptorum veterum fragmenta invênimus, quæ, tametsi ad senariorum leges opellâ nostrâ revocari minùs, quàm sponte suâ recurrere viderentur, tamen prosâ oratione scripta primùm quin fuissent dubitare nobis, propter perpetuam Criticorum auctoritatem, haud liceret; abjiciendam esse suspicionem nostram, removendamque censuimus. Tantùm judicavimus, si daremus

---

specimen aliquod industriæ nostræ in ejusmodi monumentis, sive vertendis, sive restituendis, Lectori non injucundum fore. Hoc ergo sub ipsum Præfationis hujus nostræ finem præstabimus: cùmque olim Marquardus Gudius, vir magnæ apud literatores auctoritatis, Fabulas quinque è codicibus manuscriptis erutas, numerisque pristinis, ut ipse credidit, à se restitutas, pro Phædriis venditârit, eoque demum profecerit, ut Hoogstratanus, aliique fatis multi adscribere eas Phædro non dubitaverint; operæ hujus exemplum pariter exhibemus.

Justa quoque & honesta causa videtur esse confitendi, Fabulas, de Rustico Providentiam Divinam emendare cogitante, de Lepore & Testudine, de Agricola & ejus filiis, de Cervo & Vite, acceptas referendas esse Gabriëli Jaïo, Societatis Jesu sacerdoti. Illas enim oratione, quanquam solutâ, tamen optimis senariis proximâ, perscriptas invênimus: ita ut, in iis castigandis, & ad metricas leges componendis, perparvum sit, quicquid opellæ collocavimus.

Ab argumentis , quæ perpolivit Phædrus , manum prudenter abstinuimus : quibus autem concinnandis , eximius Fabularum gallicarum artifex , Joannes Fontana miram suam , vixque ulli deinde homini imitabilem artem adhibuisset , eadem , si arriderent nobis , non prætermittere debuimus . Quippe diversa , quâ utimur , linguæ ratio diversum etiam postulat narrandi ac differendi genus : Phædrusque , & Fontana , quamvis in arte scribendi Fabulas ambo pariter excelluerint , abière tamen in scribendo valde diversi . Nos quidem elegantiam primi simplicem imitari , quantum potuimus , conati ; alterius facetam , ingeniosamque urbanitatem effingere vix aliquando tentavimus . Fabulam tamen ejus de Rustico Mortem invocante , studiosè curavimus reddere : sed ponè subjunximus idem argumentum , simpliciter , magisque , ni fallor , ad ingenium linguæ latinæ accommodatè expositum . Ac si quâ nos , ut in Fabulis de Lupo pœnitente , de Lupo natum erudiente , de Malis aureis , atque in aliis fortè plurimis , à viâ Veterum pervulgatâ discessimus , id omne rogo ut mihi , aut malis exem-

---

plis , aut indole meâ gentili decepto , condonetur.

Adornandis Fabulis nostris adhibuimus, duce Phædro, senarios illos, veteribus quibusque poëtis latinis familiarissimos, neque priùs esse in honore defitos, quàm cum Latinitas formam induere paulò deteriore cœpit. Hi quidem iambum in sede tantùm ultimâ necessariò postulant: at iidem verborum suavem delectum, & quasi concentum; at facilitatem orationis quandam delicatam volunt: quæ dotes ambæ poësim narrationis ingenuæ, simplicisque propriam ferè omnem concludunt; & industriam si minùs diligentem, quàm accurata iambicorum gravitas, demonstrant; laudem tamen haud multò minorem habent; amabiliorem certè suam ipsam artis mediocritatem efficiunt. Æmulati ergo sumus doctam Phædri negligentiam: obscuram verò quorundam hominum diligentiam contempsimus, qui, cum hunc poetam liberiore in servandis metri legibus ac prope dissolutum fuisse contendunt, culpant profectò id quod ignorant.

MARCI TERENTII VARRONIS Frag-  
 menta de conviviis ex A. Gellii lib. I.  
 Cap. XXII. & lib. XIII. Cap. XI.

*Lepidissimus liber est M. Varronis ex satyris Menippæis, qui inscribitur: Nescis quid vesper ferus vehat: in quo differit de apto convivarum numero, deque ipsius convivii habitu, cultuque. Dicit autem convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum . . . . multos, inquit, esse non convenit, quòd turba plerumque est turbulenta. Et Romæ, inquit, constat\*, sed & Athenis nusquam aut cubat. Ipsum deinde convivium constat, inquit, ex rebus quatuor; & tum denique omnibus suis numeris absolutum est: si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Nec loquaces autem, inquit, convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro, & apud subsellia; silentium verò non in convivio, sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet, non super rebus anxiiis, aut tortuosis; sed*

\* Locus valdè corruptus.

*jucundos, atque inevitabiles, & cum quâdam illecebrâ, & voluptate utiles; ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amoenius. Quod profectò, inquit, eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro, atque in negotiis agendis loqui non est otium. Dominum autem, inquit, convivii esse oportet non tam lautum, quàm sine fordibus. Et in convivio legi non omnia debent, sed ea potissimum, quæ simul sint βιωσελη̃ 1, & delectent potius; ut id quoque videatur non defuisse magis, quàm superfuisse . . . . bellaria, inquit, ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt: Πέμψιν 2 enim cum πέψει societas infida.*

„LAUDANDA 3 certè convivarum paucitas:  
 „A Gratiarum numero eorum convenit  
 „Incipere numerum, & ad Musarum progredi. „  
 Non esse multos convenit; quòd turba fit  
 Plerumque turbulenta. „Romæ antiquitus  
 „Conviva stabat, aut sedebat: nunc cubat. „  
 Ipsumque deinde quatuor convivium

1 Utilia vitæ.

2 Placentis cum concoctione.

3 Quæ uncinis includuntur, mentem Varronis exprimunt, non verba ipsa representant.

Ex rebus constat; & suis tunc omnibus  
 Demum absolutum numeris est: homunculi  
 Si sunt collecti belli; si lectus locus;  
 Si lectum tempus; apparatus denique  
 Si non neglectus . . . . .  
 Convivas nec loquaces autem oporteat,  
 Nec mutos legere: quia eloquentia in foro,  
 Et apud subsellia: nec verò in convivio,  
 Sed in cubiculo debet esse silentium.  
 „Igitur habendi non erunt, id temporis,  
 „Sermones ferii, anxiis rebus super,  
 „Aut tortuosis; sed blandè inevitabiles,  
 „Hilares cum fructu, cum voluptate utiles,  
 „Quis nostrum fiat ingenium venustius. „  
 Quod sanè eveniet, si de rebus, id genus,  
 Communem vitæ ad usum pertinentibus  
 Confabulemur, de quibus loqui in foro,  
 Et agendis in negotiis, non otium est.  
 . . . . . Dominum autem convivii  
 Non tam esse oportet lautum, quàm sine fordibus,  
 Neque omnia debent in convivio legi:  
 Sed ea potissimum, quæ sint βιωφελῆ<sup>4</sup>,  
 Simul & delectent potos: & id ipsum quoque,  
 Ut non superfuisse videatur magis,  
 Quàm defuisse . . . . .  
 Bellaria autem quod spectat, ea maximè

<sup>4</sup> Verba græca in Satyris Varro sæpe usurpavit.



Tibi sint mellita; si quæ non mellita sunt:  
*πέμματα* enim cum *πέσει* infida societas.

## F A B U L A

## DE SECURI ET MANUBRIO.

*Aliquantis dantes auxilium hostibus suis pereunt. Homo, Secure factâ, ab arboribus postulat Manubrium ut darent de ligno quod esset firmum. Omnes oleastrum jusserunt dare. Accipit homo Manubrium. Aptâ Secure robora coepit decidere. Magna truncabat, & eligebat. Sic quercus fraxino dixisse fertur: dignè & bene patimur, quia Manubria dedimus.*

Hanc fabulam in veteri manuscripto Divionensi Gudius reperit, Phædro adscripsit; & sic restituit:

*Homo & Arbores.*

AUXILIA qui dat hostibus suis, perit.  
 Secure factâ, ab Arboribus homo postulat,  
 Manubrium ut darent de ligno, quod foret  
 Firmum: jusserunt omnes oleastrum dari:  
 Accipit ille; & oblatum Manubrium  
 Aptans Securi magna cædit robora:

Et eligebat Arbores: tunc fraxino  
 Dixisse fertur quercus: meritò ferreas  
 Patimur bipennes, quia dedimus manubria.

Sequentes fabulas selegimus ex illis latinis, quas excudit olim Robertus Stephanus. Eas autem, quasi suis à nobis restitutas numeris, non venditabimus: sed, quàm facilè senariorum legibus constringi potuerint, ostendemus.

(*Fab. 99. pag. 101, 102. incerto interprete.*)

### CAMELUS.

*Cùm primùm visa est Camelus, homines perterriti, & magnitudinem admirati, fugiebant. Ubi verò procedente tempore cognoverunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eò usque, ut ad eam accederent. At intellecto paulò post belluæ non inesse bilem, eò contemptùs iere, ut & frena ei imponerent, & pueris agenda traderent.*

CAMELUS 5 visa cùm primùm est, perterriti, Paresque & iram, & magnitudinem rati, Fugiebant homines. Procedente tempore Ubi cognoverunt ejus mansuetudinem.

Confisi sunt eò usque , ut ad eam accederent.  
 At hoc demum intellecto , nullam belluae  
 inesse bilem , sic eam contemptui  
 Habuère , ut etiam frenos ipsi imponerent ,  
 Et circùm agendam pueris traderent suis.

( *Fab. 107. pag. 105. incerto interprete.* )

### GALLINA AURIPARA.

*Gallinam quis habens ova aurea parientem ,  
 ratus intra ipsam auri massam inesse , occisam ali-  
 is Gallinis similem reperit.*

Gallinam habebat ova parientem aurea  
 Aliquis , inesse huic intra auri massam ratus ,  
 Cædit ; aliisque Gallinis similem invenit.

( *Fab. 17. pag. 144. Hadriano Barlando interprete* )

### DE OPILIONE ET AGRICOLIS.

*Puer editiore pratulo oves pascebat ; atque  
 per jocum terque quaterque lupum adesse clami-  
 tans , Agricolas undique exciebat. Illi saepiùs  
 elusi , seriò auxilium imploranti dum non subve-  
 niunt , fiunt oves praeda lupo.*

Oves in editiore pratulo puer  
 Pascebat: atque terque quaterque per jocum  
 Lupum, lupum adeste clamitans, hùc undique  
 Agricolas exciebat. At illi sæpius  
 Delusi, auxilium jam imploranti ferio  
 Dum non subveniunt, præda oves fiunt lupo.

(*Fab. 82. pag. 211. Rimicio interprete.*)

## DE GALLINA ET VULPE.

*Vulpes Gallinarum tugurium ingressa, cum  
 Gallinam nido ægrotantem aspexit, eam roga-  
 vit, quomodò valeret. Cui Gallina promptè re-  
 spondit: meliusculè me haberem, si hinc abires,  
 soror.*

INGRESSA Vulpes Gallinarum tugurium,  
 Nido ægrotantem Gallinam aspicit: rogat  
 Quo se modo habeat. Cui Gallina: Si hinc, soror,  
 Abires, ait, haberem me meliusculè.



*Praefatio Editionis Secundae (in 8vo.) Parisiis: Excudebant H. L. Guerin & L. F. Delatour 1756.*

CUM Hippolytus-Ludovicus Guerin & Ludovicus-Franciscus Delatour mihi significarent velle se has Fabulas, in Gallia natas, Galliae reddere, facere saltem, ne Scotia sibi soli eas vindicaret; cumque me etiam rogarent, ut adjuvarem se in incepto suo perficiendo, ac providerem, ne illi non darent aliquid primæ editione magis accuratum: ego verò meam operam voluntati eorum commodare decrevi: nactusque Codicem manu ipsius Auctoris scriptum, & vulgatis exemplaribus emendatiorem, multisque etiam in locis ad meliorem formam figuramque retractatum, illum ultro ad hanc perpoliendam editionem adhibui. Curavi quoque diligenter, ut non modò phrasas, quas vocant, & phrasium membra, clauderentur, sustinerenturque aptis distinctionibus; sed apices etiam vocibus imponerentur, ubicumque liberandus ab omni amphiboliâ sermo requireret. Praeterea id quod à multis lectoribus desideratum est, ad calcem hujus editionis adjeci Fabularum omnium Indicem. Denique cum censere

*nonnullos viderem, nomen Auctoris operi præfigendum fuisse; ab ipso petii, ut id nunc demum fieri permetteret. At candidè respondit homo simplex: Illud ipsum verò se deprecari; hætenus benignis esse suffragiis indultum; opus tenue, leves Fabellas nimio fortè favore exceptas; nil dum severè in illas animadversum; menda jam à se ipso deprehensa non pauca, correctaque; expectandum paulisper, dum ceteris subveniant peritiores Critici; ubi fati emendata fuerint omnia, tunc se manifesto nomine proditurum, ut debitam & fautoribus & emendatoribus suis gratiam referret ac persolveret. Postremò exoravit, ut ipsi, quod volebat, assentirer. Hoc tamen profeci, ut non me, nisi donatum, dimitteret; Fabellamque, de Libro & Prelo, quam modò absolverat, mihi, prioris repulsæ mitigandæ causâ, publicandam concederet. Ab illâ autem, quoniam idonea, quæ benevolentiam Lectoris alliceret, visa est, operis omnis exordium esse capiendum censui.\**

\* Hæc Fabellâ Liber primus terminatur.

## CLAUDIO SALERIO

*Editio prima dedicata.*

CUI dono <sup>1</sup>, dedico Fabulas novas? tibi,  
 Optime Saleri: namque tu primus bono  
 Has muneraſti perlegens ſuffragio,  
 Et iudicaſti luce dignas publicâ.  
 Quapropter ipſas animus augurat <sup>2</sup> mihi  
 Satis felici prodituras alite:  
 Etenim ſincerâ, candidâque præditum,  
 Te mentis indole eſſe, nôrunt plurimi,  
 Tibi quos adjunxit nexibus læta aureis  
 Neceſſitudo; deinde liberalium  
 Præſtare te magnâ artium peritiâ,  
 Neque te latinis eſſe, quàm græcis libris,  
 Minùs adſuëtum, quos priſca polivit manus,  
 Latere opinor literato nemini.  
 Id ergo totum, qualecumque, habe <sup>3</sup> tibi  
 Novi libelli; meque livor ſi malus  
 Amarulentis appetiverit jocis,  
 Tuo præſidio tutere imbellem, precor.

<sup>1</sup> Catullus, L. I. Car. I. V. I.

Cui dono lepidum novum libellum?  
 Corneli, tibi.

<sup>2</sup> Virgilius, Aen. L. 7. V. 273.

Si quid veri mens augurat.

Val. Flaccus, L. 3. V. 355.

Sed quis non prima refellat

Monſtra Deûm, longosque ſibi non auguret annos?

<sup>3</sup> Catullus, l. cit. V. 8.

Quare habe tibi, quidquid hoc libelli eſt,  
 Qualecumque.

## JOSEPHO OLIVETO

*Libri tertiæ Editionis posteriores  
quinque dedicati.*

ET nostras aliquid esse ducis Fabulas,  
 Josephe; & illas cum facilè perspexeris  
 Non invenisti specie blandà corticis  
 Allicere furtim mentes ad frugem bonam;  
 Omnemque nostram tendere hùc industriam,  
 Ut suavitate condiatur <sup>1</sup> veritas,  
 Plerisque acerba, & utiles inter jocos  
 Ludat verecundè innocens stili indoles <sup>2</sup>;  
 Hinc approbantis animi testimonium  
 Benevolus ultro gratificatus es mihi.

Quapropter aliquam ut isti jucundissimæ  
 Urbanitati gratiam rependerem,  
 Hos Fabularum quinque decrevi libros  
 Tibi dedicare; eosque præ quinque alteris  
 Polire studui tantò diligentius,  
 Quòd eruditus non latino sis minùs,  
 Quàm gallico fermone, scribendi artifex:  
 Etenim decorum, delicatum, lucidum

<sup>1</sup> Cicero, de Orat. L. 2. C. 53. *Neque est ulla temperatior oratio, quàm illa, in quâ alperitas continentionis, Oratoris ipsius humanitate conditur.* Et Orat. C. 55. *Omnino duo sunt, quæ condiant orationem; verborum, numerorumque jucunditas.*

<sup>2</sup> Plautus, Trin. act. 2. Sc. 2. V. 42. *Indoles industriæ.* Mil. glor. act. 3. Sc. 3. V. 47. *Indoles ingenii.* Cicero, de Offic. L. 3. C. 4. *Indoles virtutis.* T. Livius, L. 38. C. 17. *Frugum, pecudumque indoles.*



Servas, in utroque genere, verborum ordinem 3;  
 Pariterque, quas res invicem annecti velit  
 Arguta ratio, visque judicii potens,  
 Egregiè calles; & bonâ reconditum  
 Sub mente gustum 4 laudis utriusque obtines:  
 Idemque, spero, facilè mecum sentiet,  
 Quicumque libros legere suevit optimos:  
 Regni 5 per omnes literarii plagas  
 Tam justa famae celebritas de te viget,  
 Tamque diuturna, ut is fere convicio  
 Adurgeatur, qui refragari velit.

Jam verò id omne quidquid est munusculi  
 Ut judicarem non tibi ingratum fore,  
 Tua singularis induxit me humanitas:  
 Amas rependere omnibus videlicet  
 Officia liberalis indulgentiae,  
 Cenforiæque 6 virgulae amaritudinem  
 Adhibere nunquam, nisi perinventus, soles.

3 Cicero, Orat. C. 63. Verborum ordinem *immuta*. De Orat. L. 2. C. 42.  
 Ordo & dispositio argumentorum.

4 Cicero, Orat. in Anton. 2. C. 45. *Facinorosi verae laudis gustum non habent*. Quintilianus, Inst. L. 6. C. 3. *Gustus urbis . . . cui contraria rusticitas.*

5 Cicero, ad famil. L. 9. Epist. 18. *Regnum forense*. ad Attic. L. 1. Epist. 1. *Regnum judiciale.*

6 Quintilianus, Inst. L. 1. C. 4. *Versus cenforiâ quâdam virgulâ notare.*



---



---

 EXPLICATIO.

## NON PRÆTEREUNDA.

**P**ETIERUNT multi, ut ex his meis Fabel-  
 lis, numero quingentis circiter & triginta nunc  
 simul exstantibus, quas excogitasset, declara-  
 tem. Dicam ergo bonâ fide: Quæcumque ar-  
 gumenta ab aliis fuisse tractata Scriptoribus  
 non indico, ea omnia, à me esse inventa ex-  
 istimo: existimo, inquam; non assevero: non-  
 nulla enim, quæ primùm invenisse me credi-  
 deram, aliena postmodùm è perlectis quibus-  
 dam libris recognovi, suisque inventoribus  
 reddidi.

*Rogatur Lector, ut consulere ante omnia men-  
 dorum indicem velit.*





APOLLINI PALATINO SACRVM






FABULARUM  
ÆSOPIARUM

*LIBER PRIMUS.*



PROLOGUS.

 **O**MNES dare operam naviter homines decet,  
Ut sese honestis artibus invicem adjuvent.  
Pro viribus ergo efficere conatus fui,  
Ut ne, alma studia Literarum dum sequor,  
Obscuram inani dicerer vitam otio  
Transiſſe. Porrò cùm viderem, quas ferunt <sup>†</sup>  
Æſopum auctorem reperiſſe Fabulas,  
Magno has fuiſſe doctis olim ſeculis  
In honore; talem mihi ſumendam cenſui

<sup>†</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. I. V. 1. & alii. Quanquam multò ante Æſopum  
Hæſiodus, atque ipſi etiam divinatorum voluminum Auctores hoc  
ſcribendi genus adhibuerunt.

Materiam, primâ fronte levissimam quidem,  
 At penitùs omni laude verâ præditam :  
 Ejus enim dotes paulò diligentius,  
 Paulóque rectius intueri si velis,  
 Tute ipse, lusus esse nostros utiles  
 Ad corrigendam vitam hominum, fatebere.

Speciosis alii dum eloquentiæ strophis <sup>2</sup>  
 Severitatem venditant censoriam,  
 Re vacuas ipsâ nœnias effutiunt  
 Plerumque: nos paratu verborum levi,  
 Tenui, modesto simplices, fictis jocis <sup>3</sup>  
 Lenocinantes, mentibus frugem bonam  
 Inferimus. Et verò infitari non licet,  
 Nostrum illud omne Fabularum quin genus,  
 Dum varia proponit, oculisque subjicit  
 Exempla, monitis arguat salubribus  
 Cujusque vitam, quas & ipsa condidit  
 Natura, sanctas usque leges suadeat,  
 Officia denique doceat fere omnia,  
 Quis continetur societas mortalium.  
 Unde hanc moralis <sup>4</sup> esse Philosophiæ scholam,  
 Eamque veram, non ineptè dixerim.

<sup>2</sup> Phædrus Lib. I. Fab. XIV. V. 4. de quodam Sutore :  
 Verbosis acquisivit sibi famam strophis.

<sup>3</sup> Phædrus l. I. Prol. V. 7.  
 Fictis joculari nos meminerit Fabulis.

& Lib. III. Prol. V. 37. de Æsopo :  
 Quia quæ volebat, non audebat dicere,  
 Affectus proprios in Fabellas transtulit ;  
 Calumbiamque fictis ehulit joci.

<sup>4</sup> Cicero de Fato. init. *Quia pertinet ad mores . . . . . nos eam partem Philosophiæ de moribus appellare solemus : sed dicit augentem linguam latinam, nominare moralem.*

## FABULA I.

*Belluæ pestilentia laborantes.* 5

CALAMITAS <sup>6</sup>, quâ non alia diligentior  
 Vastandum ad Orbem ab Inferis emittitur,  
 Terribilis, invicta, efficax, intra dies  
 Paucos, avaram explere Plutonis domum,  
 Pestis <sup>7</sup>, vocanda nomine quoniam est suo,  
 In Belluarum <sup>8</sup> eruperat latè genus.  
 Permulta fuerant corpora data jam neci <sup>9</sup>:  
 Reliqua laboriosus urgebat stupor,  
 Tristi veterno languida: procul, hinc procul

5 Martinus Dorpius, Fab. 473. La Fontaine, L. 7. Fab. I.

6 Cicero, in Verr. L. 1. C. 16. *Quicumque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut Legatus populi Romani, sed ut quaedam Calamitas pervadere videretur.*

7 Morbi, de quo hic agitur, proprium, ni fallor, nomen est *pestis*: & videntur hoc nomine perniciosissima quæque appellata ideo tantum fuisse, quod *pestis* malorum maximum existimaretur. Attamen Jo. Fred. Gronovius, Observationum L. 3. C. 15. Edit. 1639. *Equidem pestilentia est, inquit, pestis; ut non morbi solum, sed omnia exitialia, sunt pestes: sed hanc vocem propriè pro pestilentia accipi, nego cum Gifanio, & negabo, donec contrarium ex verè latinis videro probatum.* Verba hæc hominis doctissimi multos commoverunt. ut ad ejus sententiam accederent: sed illi fortè nescierunt, Editione secundâ, 1662, quæ dicitur *priori emendatior, & altero tanto auctior*, omissam planè fuisse ab Auctore talem cenuram. Ennius, pag. 142. Edit. 1707.

Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.

Cicero, de nat. Deor. L. 1. C. 36. *Ibes . . . avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues, ex vastitate Libyæ vento africo inventas, interficiunt atque consumunt.* Columella, L. 7. C. 7. *Si aegrotat universum pecus . . . si ex calore & aestu concepta pestis invasit.* Lucanus, L. 6. V. 89.

Traxit iners cælum fluidæ contagia pestis.

8 Bestiarum genus universum posse belluarum vocabulo appellari, in opusculo quodam gallico nuper demonstratum est.

9 Ovidius, Metam. L. 7. V. 606. de extinctis peste corporibus:  
 Corpora missa neci.



Exterritus Amor, & voluptas fugerant :  
Ubique luctus, ubique regnabat pavor.

Eâ tam atroci clade perculsus Leo,  
Jubet frequentes convocari Belluas :  
Tum concionem <sup>1</sup> ubi satis magnam videt :  
Cælestis ira, unius ob noxas, ait,  
Sæpe universam plectit multitudinem :  
Nunc ergo judex quisque, non mollis sibi,  
Descendat <sup>2</sup> in se, dispiciatque sedulò,  
Si quid erit, quo fòrs irritaverit Deos ;  
Ut una demum, ritè sese devovens,  
Hostia tot innocentes redimat victimas.  
Ego equidem culpâ non carere me puto :  
Nam oves, & agnos, & juvencos, & boves  
Comèdi ; nec peperci ipsis custodibus :  
Et hæc, & alia ejusmodi quàm plurima  
Patrata, fateor, jure nullo sunt meo.

Hic Vulpis, ut quæ sponte adulari solet,  
Vitam reclamât omnem tanti Principis  
Culpæ inveniri <sup>3</sup> posse nulli obnoxiam :  
Ovillis, inquit, bubulisque carnibus  
Sæpe satiâsti nobilem tuam famem :  
Quid tum ? pecudibus magnus hic stultis honos

<sup>1</sup> Cicero, Orat. pro Sext. C. 12. *Advocat concionem ; habet orationem.*

<sup>2</sup> Persius, Sat. 4. V. 23.  
*Ut nemo in sese tentat descendere, nemo !*

<sup>3</sup> Ovidius, Heroid. Epist. 10. V. 1.  
*Mitius invèni, quàm te, genus omne ferarum.*

Pont. Epist. 3. V. 20.  
*Seu non fingebas, inveniens levis.*



Est habitus, alvum quòd tuam repleverint.  
 Aliquot prætercà rusticos discerpere  
 Placuit: at hostes in modum hostilem licet  
 Tractare, nec jus bellicum <sup>4</sup> ulcisci vetat.  
 Quæ visâ postquàm est plausibilis <sup>5</sup> oratio;  
 Sua confiteri scelera non dubitat Tigris,  
 Non dubitat Ursus, non Lupus, non ceteri  
 Carnifices; & qui nigra nôrint vertere <sup>6</sup>  
 In candida, adfunt oratores callidi.

Reſtabat Aſinus: is suum bonâ fide  
 Scrutatur animum; & invenire vix potest  
 Quidquam, notari <sup>7</sup> dignum; adextremùm tamen:  
 Mihi, quasi <sup>8</sup> per nebulam, ait, in mentem venit,  
 Olim me divertisse, nescio quâ viâ,  
 Ad Sacrificuli <sup>9</sup> nescio cujus pratulum:  
 Herba bona, tenera, si bene memini, fuit;  
 At illa, fateor, non erat juris mei:  
 Nôram: abstinere volui: sed stimulans fames,

4 Cicero, de Offic. L. 3. C. 29. *Est autem jus etiam bellicum.*

5 Cicero, Tuscul. L. 3. C. 21. *Haec plausibilia non sunt.* Seneca, Epist. 59. *Nondum captabatur plausibilis oratio.*

6 Juvenalis, Sat. 3. V. 29.

Cedamus patriâ: vivant Arturius isthuc

Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida vertunt.

7 Horatius, L. 1. Sat. 3. V. 24.

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

8 Plautus, Pseud. act. 1. Sc. 5. V. 47.

Sunt quæ te volumus percontari, quæ quasi  
 Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.

Cicero, in Ant. Orat. 12. C. 2. *Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem.*

9 T. Livius, L. 50. C. 8. *Graecus ignobilis . . . Sacrificulus & rates.*  
 Suetonius, Domit. C. 1. *Isiaci celatus habitu inter Sacrificulos  
 vixisse superstitionis.*

Et allicientis opportunitas boni,  
 Et Genius aliquis me malus, credo, impulit,  
 Labella dulci ut admoverem gramini,  
 Pauxillulumque pabuli decerperem.

Vix ea; repentè in infelicem bestiam  
 Ab universo coetu clamor tollitur:  
 Pereat scelestus, causa communis mali,  
 Asinus; nefandi pereat auctor criminis.  
 Sacrificuli herbam <sup>1</sup> comedere! quid hoc est, nisi  
 Horribile, junctum cum sacrilegio, scelus?  
 Hinc nos videlicet hisce cladibus premit  
 Cælestis ira: Numen ergo debitâ  
 Statim expietur <sup>2</sup> impiae pecudis nece.  
 Diram hanc, iniquus ipse Rex, sententiam  
 Non erubescit comprobare; nec mora,  
 Foedè immolandam tradit hostiam Lupo.

Pessumdari <sup>3</sup> Inopes, ubi Potentium interest;  
 Facilè in grave scelus culpa mutatur levis.

<sup>1</sup> Virgilius, Georg. L. 3. V. 497. de equo pabulum averfante:  
 Inmemor herbae.

<sup>2</sup> Cicero, in Verr. L. 4. C. 50. *Cereris numen . . . istius sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiari volebant.*

<sup>3</sup> Terentius, andr. act. 1. Sc. 3. V. 3.  
 Me, aut herum pessumdabunt.

Ovidius. Trist. L. 3. Eleg. 5. V. 45.  
 Non mihi, quærenti pessumdare cuncta, petitum  
 Cæsareum caput est.



## FABULA II.

*Formica & Cicada.* 4

**P**ATIENS laboris, grana dum messis daret,  
 Opus Formica fecerat 5, hiemis memor;  
 Frugemque multam in horreum congesserat:  
 Cicada totos interim dies sonis,  
 Malè otiosa, fridulis indulserat,  
 Nil providens quid deinde venturum foret.  
 Venit hiems. Mox misella contrahitur gelu;  
 Intelligitque se esse perituram fame,  
 Si non cibi aliquid unde unde extricaverit.  
 Formica tutum se receperat in cavum,  
 Opibus paratis jam fruens. Hanc convenit  
 Cicada supplex: Fer, ait, auxilium, ô bona,  
 Egenti. At illa: Quid agebas autem, has opes  
 Dum colligebam? Cantabam videlicet.  
 Cantabas! laudo: nec saltare nunc veto.  
 Suam dolebit languida senectus vicem,  
 Laboriosa ni juvenus præcavet.

4 La Fontaine, Lib. I. Fab. I. Benferade, Fab. LXIII. Æsopus, Fab. CXXXIV. Aphtonius, Fab. I. Faernus, Fab. VII. Burmannus in Appendice ad Phædrum, Fab. XXVII. S. Cyrillus, Lib. I. Fab. IV.

5 Salomon Prov. C. 6. V. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, discite sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, parat astate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*





## FABULA III.

*Aquila, Corvus, & Pastor.* <sup>6</sup>

OVEM rapuerat Aquila curvis unguibus:  
 Idem experiri Corvus & ipse dum cupit,  
 Parem è grege toto prædam observans eligit;  
 Simulque magno devolans ruit impetu.  
 At nec ovem tollere, impar quippe viribus,  
 Neque hujus etiam pertinaci vellere  
 Miserè impeditum se expedire jam potest.  
 Accurrit ergo Pastor, & hunc capiens: Tuas  
 Priùs decebat nôsse te vires, ait,  
 Quàm tale facinus nitereris exsequi.  
 Capere volebas, captus ipse nunc veni,  
 Meo futurus filio ludibrium.

Docet fabella, tenuiores ad suam,  
 Potentiorum exemplis, perniciem trahi.

## FABULA IV

*Lacerta & Testudo.*

TUI me miseret, aiebat Testudini  
 Lacerta; quæ, quòcunque libeat vadere,  
 Tuam ipsa tecum ferre cogaris domum.

Quod utile, inquit illa, non grave est onus.

<sup>6</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. XVI, Benferade, Fab. LXXVII. Æso-  
 pus, Fab. CCVII.

## FABULA .V.

*Ericius & Talpa.* 7

ERICIUS 8 hiemem adventare sentiens,  
 Talpam rogavit, proprio in cavo locum  
 Sibi ut vim contra frigoris concederet.  
 Concessit Talpa; sed receptus hospitem,  
 Ut se movere cumque vult, Ericius  
 Pungit molestis hinc & hinc aculeis:  
 A se ergo Talpa hunc sentiens damno suo  
 Receptum, ferre nec diutius volens,  
 Precatur, obtestatur, exire ut velit,  
 Quandoquidem angustus ambo non capit locus.  
 At esse gaudens ille, ubi bene est sibi:  
 Hinc exeat, ait, qui manere non potest.

Fabella docet hunc imprudenter hospitem  
 Admitti, qui non possit aliquando ejici.

7 Benferade, Fab. LXXII. Le Noble, Fab. LIII. & in Comœdia sua Æsopicâ Act. I Sc. IV. Richer, Lib. IV. Fab. XV. Abitemius, Fab. LXXII.

8 Gallicè, *Herisson*. Isidorus, Origin. Lib. XII. Cap. 3. *Ericius animal spinis coopertum . . . . . exinde nominatum, quod subrizit se, quando spinis suis clauditur.* Hinc apud Sallustium, Hist. Fragm. Lib. III. & apud Cæsarem de bello civ. Lib. III. Cap. 67. Trabs infixis horrens aculeis ferreis Ericius vocatur.





## FABULA VI.

*Leo, Lupus, & Vulpis.* <sup>9</sup>

LEO ægrotabat: accesserunt illico,  
 Ut solarentur, omnes undique belluæ:  
 Vulpis tamen adhuc aberat: ergo Lupus datum  
 Hanc criminandi infensus arripit locum:  
 Nil curat, inquit, de salute Principis.  
 Dumque alia multa deblaterat ejusmodi,  
 Conflare tentans invidiam; tandem advenit,  
 Ejusque verba Vulpis audit ultima.  
 Vix introgressa: Me, ait, excusatam velis,  
 Magnanime Princeps, si quid est, cur non fatis  
 Videar fuisse diligens: mea interim  
 Tibi opera impensa est; & fuit pretium moræ:  
 Nam circuivi; & hinc, & illinc sedulo  
 Rogavi, quodnam remedium præstantius,  
 Tuoque tollendo aptius morbo foret.  
 Quid comperisti, quærit impatiens Leo?  
 Respondet Vulpis: Nil crede efficacius,  
 Quàm si jubebis detrahi pellem Lupo  
 Viventi, eamque protinus calidam indues.  
 Placet remedium: Lupus ergo deglubitur <sup>1</sup>  
 Miser, & agnoscit, quæ nihil dominos juvat,  
 Recidere fraudem sæpe in auctores suos.

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. VIII. Fab. III. Æsopus, Fab. LXXII. Faernus, Fab. XCIX. Jaius, Biblioth. Rhet. Tom. II. pag. 741.

<sup>1</sup> Suetonius, Tiber. C. 32. *Rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.*



## F A B U L A VII.

*Pueruli Fratres.*

NATURA, & usus vitæ communis duos  
Pæruolos fratres mutuo conjunxerat  
Amore, qualem ferre id ætatis solet.  
Tentatus est fortè unus amborum levi,  
Brevique morbo: venam oportuit tamen  
Secari, Medico sic jubente. Quod videns,  
Protinus adilere cœpit alter. At mihi  
Pius iste motus misericordiæ placet,  
Ait æger secum reputans; ac etiam magis,  
Quàm credidi, ab eo nunc me amari intelligo.  
Postridie, cùm prima rediisset salus,  
Germanum aspexit crustulorum copiâ  
Instructum: partem sibi dare ut velit, rogat.  
Negat ille verò. Quid? mihi pias heri  
Lacrymas dedisti, nuncque crustulum negas?  
Nego, ait: Natura dat lacrymas, non crustula.

Speciosa sæpe sanctam amicitiam nota  
Testatur: at rarò ipsa res fidem facit.





## FABULA VIII.

*Rosae & Papilio.*

SEMOTA ab omni pæne conspectu Rosa  
 Florebat, & latebat horti in angulo.  
 Inde tamen aliam, non visâ ipsa, clanculum <sup>2</sup>  
 Rosam videbat, quæ patenti in areâ  
 Blandè renidens lumini ætherio, suum  
 Decus aperiret non sine fastoso igneæ  
 Fulgore formæ. Tum livore carpitur:  
 Gemitque, genere quòd parem, tam dispari  
 Obnoxiam se vivere forti oporteat.  
 Papilio, sua quem fortè levitas hùc tulit,  
 Advertit, &: Quid, stulta, sic, inquit, gemis?  
 Tua ista nempe clariùs micat foror,  
 Radiisque Solis vividioribus calet;  
 Sed te minùs tenella est, & vernans minùs;  
 Et ævum denique brevius, quàm tu, exiget.  
 Hæc misera plerosque homines conditio premit:  
 Obscura vita displicet; illustris nocet.

<sup>2</sup> Terentius, Eun. act. 3. Sc. 5. V. 53.

Ergo limis spectro

Sic per flabellum clanculum.





## FABULA IX.

*Columba Plumipes, & Columba  
Saxatilis.*

SPERNENS Columba Plumipes<sup>3</sup> Saxatilem<sup>4</sup>,  
 Superbiebat, quòd se semper cerneret  
 Bene ocreatam; cùm suas illa interim  
 Nudas, turpesque tibias ostenderet.  
 Saxatilis ait: Nudis me esse tibiis  
 Quòd Sors voluerit, non modò injustè exprobras;  
 Sed etiam, quòd sic nata sim, mihi gratulor,  
 Quippe magis expeditæ: at ocreas tibi  
 Quòd Fata dederint, quid ea jactas munera?  
 Vincla esse potiùs, quàm ornamenta, dixerim:  
 Etenim experire: non modò nihil adjuvent;  
 Sed etiam impediunt, ne fatis facilè ambules.  
 His excitata verbis, à se Plumipes  
 Ova incubari<sup>5</sup> non meminit: ut se probet  
 Possè ambulare commodè, nido exsilit  
 Repentè, & ocreis simul inhærentem suis  
 Spem sobolis rapit, & inscia illidit solo.


Vestis luxuriâ gloriantes indicat  
 Fabella plures ruere in exitium grave.

<sup>3</sup> Catullus Carm. LV. V. 27.

Adde huc plumipedes, volatilesque.

<sup>4</sup> Varro de re rust. Lib. III. Cap. 7. *Unum'* (Columbarum genus  
*Agreste: ut alii dicunt, Saxatilis.*

<sup>5</sup> Vide notam ad Fab. IO. L. 5.



## F A B U L A X.

## Capo.

**H**ABEBAT aliquis Caponem, chortalibus <sup>6</sup>  
 Præ ceteris alitibus dilectum sibi;  
 Ita ut, pennarum nullo conspicuum licèt  
 Nitore, pulchrum hunc esse totum crederet.  
 Adeò est anantum cæca deliratio!  
 Etiamque tinctu fasciam insignem rubro  
 Ad ejus collum stultus alligaverat.  
 Ornatu hic autem glorians novo, additam  
 Sibi putat esse miram pulchritudinem:  
 Ergo celeriter sese confert ad suos.  
 Ineptum at illi non ferentes, protinus  
 Omnes ad unum invadunt, & procaciter  
 Illudere certant, omnibus & vexant probris.

7 Loco est ignominie honor indigno datus 8.

6 Apud Varronem, Columellam, Celsum, & Ovidium, ubi agitur de sepro avium domesticarum, scriptum invenitur non *chors*, sed *cohors*. Vitruvius tamen, L. 6. C. 9. *Chortes*, *magnitudinesque earum &c.* In *chorte &c.* & Martialis, L. 7. Epigr. 40. V. 1.

Raucæ chortis aves, & ova matrum.

Ibid. Epigr. 53.

Non porcus, non chortis aves, non ova superfunt.

7 Pub. Syrus, V. 354.

Loco ignominie est apud indignum dignitas.

8 Cicero in Verrem, Lib. V. Cap. 14. *Quastor sum factus, ut mihi honorem illum tum non solum datum sed etiam creditum ac commissum putarem.*



## FABULA XI.

*Simius & Hinnuleus.*

**H**INNULEUS olim, Simiusque dum simul  
 Colludunt; ille genio indulget innocens,  
 Lufumque simplex è lufu folum petit:  
 Sed alter, etiam ludens, innatam sibi  
 Malitiam continere non potest diu,  
 Et ad usque vivum dente pungens perfido  
 Hinnulei delicatam fauciat cutem:  
 Qui simul acerbans ejulatu, fletibus<sup>9</sup>  
 Sensum doloris, hinc cito pede confugit  
 Cervum ad parentem, defluenteque offerens  
 Cruore tinctam corporis partem: En vides,  
 Vides, heu! clamat, me miserum natum tuum  
 Malus iste scurra quo tractaverit modo:  
 Quam nisi tu atrocem vindicas injuriam,  
 Pater, uti justum est, hercle perii funditus:  
 Namque hoc abîsse impunè postquàm viderit,  
 Ad majus aliquod scelus erit paratior.  
 Causam querendi Cervus esse existimans  
 Parem querelis, territus primùm fuit,  
 Et ultrionis cupiditate percitum  
 Sibi simul sensit fremere, & accendi jecur:  
 At propiùs omnem deinde rem considerans,  
 Læsam esse leviter ut cutem nati videt,  
 Luctum ejus ipse denique mendacem arguit.

<sup>9</sup> Lacrymari dicuntur Cervi.



Tenerior animus quamlibet factam sibi  
Exaggerare offensusunculam solet.

## F A B U L A XII.

*Gruis & Pavo.* <sup>10</sup>

VARIIS simultas orta de causis Gruem  
Olim incitavit, & Alitem Junonium,  
Ut se vicissim incefferent <sup>11</sup> convicio.  
Vide, inquit Pavo, gemmeum <sup>1</sup> caudæ explicans  
Nitorem, in illis miro plumis ordine  
Dispositis quanta luminum vis fulguret;  
Tuumque lauda postea, & mihi, si potes,  
Objice colorem cinereum. Retulit Gruis:  
Plumarum honore lucido præstas quidem;  
Neque hanc invideo futilem tibi gloriam:  
Sed humi te retinet iste, quem jactas, decor,  
His ego dum pennis, quas, superbe, vituperas,  
Procul hinc volatus molior sæpe arduos,  
Ultraque nubes, proxima <sup>2</sup> Superis, feror.  
Quisquis es ab aliquâ parte commendabilis,  
Ne sis ab aliâ vituperabilis, <sup>3</sup> time.

<sup>10</sup> Benferade, Fab. CVI. Avienus, Fab. XV.

<sup>11</sup> Suetonius, Tiber. Cap. 11. *Non desuit, qui eum . . . convicio incefferet.*

<sup>1</sup> Phædrus, Lib. IV. Fab. XVIII. V. 7.  
Nitor Smaragdi collo præfulget tuo,  
Pistisque plumis gemmeam caudam explicas.

<sup>2</sup> Avienus, Fab. XIII. V. 14.  
Proxima fideribus, Numinibusque feror.

<sup>3</sup> Cicero, de finib. bon. & mal. L. 3. C. 12. *Quod vituperabile est per seipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio*



## FABULA XIII.


*Mala Aurea. 4*

VIR Lusitanus filium habuit unicum,  
 Cujus venustam simplicis animi indolem  
 Etiam adjuvabat pulchritudo corporis.  
 Erga hunc (vel aliis, quàm parenti, amabilem)  
 Erat parentis magnus, at prudens amor.  
 Oculum ille, curis excitatum providis,  
 Cùm sæpe in ipsum attentius defigeret,  
 Perspexit animum, qui dolosis artibus  
 Deludi, & ad flagitia possset allici  
 Eo faciliùs, quo magis simplex erat.  
 Ergo monebat sæpe, ne socios sibi  
 Habere vellet, ut habebat multos nimis,  
 Et hunc, & illum memorans, qui parilis quidem  
 Ætatis, at non parilis innocentia  
 Flore eniterent. Magnâ cum reverentiâ  
 Monitus paternos audiebat filius:  
 Atenim, inquebat, tuta omnia times, pater;  
 Eosque certè, cum quibus credis mihi  
 Periculosum inire consuetudinem,  
 Quàm non nocere possint, haud nostri fatis:

*diffum vituperari. De Legib. L. 3. c. 10. Consulatus vituperabilis est, & Consulatum, quos enumerare nolo, peccata collegeris.*  
 Sic legitur non modò in Editione Mediolanensi an. 1498, quæ maximæ est auctoritatis, sed in aliis etiam fere omnibus quæ ante Gruteranam prodierunt.

4 Locmanus, Fab. XXIII. Car. Poreus, Fab. ineditâ.

Immo, aliquid ipsi fortè si contraxerint  
 Vitiositatis, quidquid id fuerit, meis  
 Bonis, ita spero, exemplis emendabitur.  
 Nec ea quietus accipit, nec adhuc tamen  
 Ratus pater causam esse cur succenseat,  
 Præstare verbis, quod nequit, tentat dolo  
 Efficere id innocente. Cistulam parat,  
 Pulcherrimisque Malis aureis replet,  
 Nisi quòd tot fanis aliquot intermiscuit,  
 Quæ sparsa maculis intimam prænuntiant  
 Corruptionem. Quo factò, natum vocat;  
 Et: Hoc leve, inquit, pignus habe amoris mei.  
 Lætusque, gratusque accipit donum puer;  
 Mox & sciendi cupidus, habeat quas opes,  
 Dum curiosè numerat, atque examinat,  
 Repentè clamat: Heu! quid egisti, pater?  
 Cur infincera miscuisti his integris?  
 Ne querere, fili: integritatem mox suam  
 Communicabunt cum malis quæ sunt bona.  
 Quin immo, subjicit ille, quæ bona sunt modò,  
 Brevi malorum mala fient contagio.  
 Nil tu time, inquam, nate; vel hoc mihi denique  
 Concede, ut experiamur quem res exitum  
 Habere possit. Natus nildum suspicans,  
 Quò tenderetur, annuit, invitus licèt.  
 Ergo obseratur cistula; clavisque in manus  
 Datur parentis, ipse adesse dum velit  
 Referandi tempus. Interim impatiens moræ,  
 Patrem usque & usque blandâ sollicitat prece,  
 Tentatque natus facere, ne diutius



Vifere vetetur, quo fuæ fint res loco.  
Nimis inquietus quid te frustra maceras,  
Aiebat ille? quin potiùs, quod tu cupis,  
Fieri dum liceat, fuftines moram brevem?  
At ecce, poftquàm distulit fatis diu,  
Veniffè tandem nuntiat optatum diem,  
Simulque clavim tradit: illa fegniùs  
Videtur obfecundare ifti improvido,  
Suum expotenti cernere citiùs malum:  
Nam vix aperta eft ciftula, ingentem videt  
Omnibus ad unum Malis, jam non aureis,  
Luem infediffè, & horridam putredinem.  
Et calamitatem non ego hanc prædixeram,  
Exclamat? heu me! quàm verus forem, nimis  
Intelligebam: fed aliter vifum tibi,  
Pater. Dolere non tanti eft, fili; abftine,  
Ait ille, jungens plena amoris ofcula:  
Tibi quòd habere fuper his noluerim fidem,  
Quereris: at ipfe numquid credideras mihi,  
Cùm commonerem, vita quorum non foret  
Impuritatìs expers, quàm facilè in malam  
Perniciem eorum focietas adduceret?  
Periiffè Mala, dono quæ dederam, doles;  
Damnum puta iftud & leve & reparabile,  
Sed adulteratis, nate, fi te moribus  
Aliquando fieri vitiofum contingeret;  
Et ifta quæ nunc tantopere juvat patrem,  
Vitæ innocentis fi periret caftitas;  
Quid patre mifero fieret? tamque flebilis  
Iactura quo farciri jam poftet modo?



Hoc dicitur convictus exemplo puer  
 Meminisse semper, infincera quàm citò  
 Perniciem Malis intulissent integris.

Hæc fabula, puer, quisquis es, scripta est tibi:  
 Rarò boni te reddent ex malo bonum;  
 Malumque semper ex bono reddent mali.

## FABULA XIV.

*Cucurbita, Glans, & Rusticus.* <sup>5</sup>

VENTRE tumefacto repere<sup>5</sup> humi Cucurbitam,  
 Miratus olim Rusticus: O factum malè,  
 Ita vivam, dixit! Nam illa quantò pulchriùs,  
 Meliùsque ab hâcce dependeret ilice!  
 Talem hercle tales arborem fructus decent.  
 Næ dormiebat, quem rerum auctorem ferunt,  
 Ea cùm ordinaret! Nam Cucurbitæ loco  
 Cur non vicissim serpit ista Glans humi?  
 Pol si vocatus essem in partem consilii,  
 Hæc, & alia rectè statuissem, ut equidem reor.  
 Dum sic movetur, tamque difficilis rei  
 Nodum expedire miserè<sup>6</sup> quærit, nec potest:  
 Homines, quibus acris ingenii vis obtigit  
 Felicior, dormire vix, inquit, licet.  
 Simul recumbit; simul hominem invadit sopor.  
 At ecce ab ipso vertice ilicis incidit

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. IX. Fab. IV. Jaisus Biblioth. Rhet. Tom. I. pag. 753. Cujus verba pleraque retinimus.

<sup>6</sup> Horatius: Lib. I. Sat. IX. V. 8.

. . . . . Miserè discedere quærens.



Glans dormienti, ejusque nasum vulnerat.  
 Evigilat; nasoque simul admotâ manu:  
 Hui, plaga facta est non levis! sanguis fluit!  
 Tantumne verò Glans minima infligat mali;  
 Cucurbita autem quid si cecidisset? papæ!  
 Nil immutandum; sentio. Rerum artifex  
 Suis prudenter cuncta disposuit locis.

Sese haud absimilem credat isti Rustico  
 Divinam quisquis culpat providentiam.

## F A B U L A X V.

*Lupus poenitens.*

MORES scelestos, ac vitam nefariam,  
 Instinctus olim tristi pœnitentiâ,  
 Abominari fortiter cœpit Lupus.  
 Crudelitatis æstu semper abripi,  
 Fervere semper amore cædis impio,  
 Hæc vita non est, inquit; ergo aliam lubet  
 Vivendi regulam experiri, affectibus  
 Legem immodestis ponere, converti bonas  
 Ad pacis artes atque mansuetudinis;  
 Pecudes lanigeras, mite & innocuum genus,  
 Placet imitari, & illarum commercio  
 Deformitatem corrigere nostræ indolis.  
 His dictis, rectâ tendit ad ovium gregem,  
 Animo paratus, ut videbatur sibi,  
 Non modò creare nil mali, at etiam suis  
 Probè mutatis has recreare moribus.  
 Heu! quanta vis est pravæ consuetudinis!

Gentem ille placidam vix propiùs inspexerat,  
 Simul iras veteres sentit exardescere;  
 Simul imperiosos impetus sequitur volens,  
 Prædamque, quam fors objicit primam, rapit.

Fabella declarat, homines multos, mera  
 Quos turpitudine sceleris à scelere avocet,  
 Occasione retrahi ad scelus datâ.

## F A B U L A X V I.

*Vulpis & Canis.*

VULPIS rapuerat gallum gallinaceum,  
 Voraveratque. At hanc recenti sanguine  
 Adhuc madentem fortis occupat Canis,  
 Crebroque dente membra discerpens vorat.

<sup>7</sup> *Ab alio expectes, alteri quod feceris.*

## F A B U L A X V I I.

*Mures duo.*

LARDUM è muscipulo <sup>8</sup> pendulum famelici  
 Edacitatem Muris inflammaverat  
 Potenti illecebrâ. Victus ille denique  
 Obsequitur: at vix attigit, captus gemit.  
 Suam ergo fortem dum lamentatur miser,

<sup>7</sup> Verba ipsa sunt, Pub. Syri, V. 2.

<sup>8</sup> Rob. Stephanus, Basil. Faber, & qui hos secuti sunt Lexicographi, id, quod gallicè dicitur *fourcière*, dictum latinè *Muscipulam* fuisse testantur; citantque Varronem. Varronis quidem de Re Rust. Lib. I. Cap. 8. Sect. V. Edit. Lips. 1735. Verba hæc sunt: *Si parit humus Mures, minor sit vindemia, nisi totas vineas opplèris muscipulis.* At cur inde potiùs *Muscipula*, quàm *Muscipulum*, in casu primo singulari, enuntiandum concludatur? Ego verò ad-

Quippe sibi nullam spem salutis jam videns  
 Superesie; Mus severus, & retorridus  
 Huc fortè venit, &: Merito certè tuo,  
 Quod nunc deploras, inquit, accidit malum:  
 Ego jam quidem olim centies ejusmodi  
 Mihi fraudulentas videram objici dapes;  
 At semper animus abhorruit, quantamlibet  
 Illæ excitarent appetentiam suâ.  
 Etenim profectò capite in hoc nostro viget  
 Aliqua scintilla sensûs & prudentiæ:  
 Rationis autem quàm sis omnis indigus,  
 Futilibus antea, indoctisque moribus  
 Tu perquàm nimium sæpe jam probaveras.  
 Meme, inquit alter, enecas: quod arguis,  
 Ferrem libenter, si meis malis simul  
 Dares medelam; sed nihil tu cùm queas  
 Prodesse; dure, cur tuis meam insuper  
 Hanc calamitatem exasperas conviciis?

Ne monitione inutili miserum increpes,  
 Fabella prohibet nomine hoc, quia est miser.

iberi ad id ipsum posse auctoritatem Lucilii existimaveram; cujus Sacyrarum, Lib. 30. num. 23. Verba ista exhibentur: *Hic ut muscipula contenta*. Sed cùm sententia sit imperfecta, ac fortè etiam depravata verba, nihil certi ex hoc fragmento colligi potest. Nunc autem Phædrum, qui annis, postquàm Rob. Stephanus ultimam Thesauri suo manum adjecit, amplius quinquaginta in lucem editus est, controversiæ omnis judicem adhibebimus. Is enim *Muscipula* quarto casu plurali, non *Muscipulas*, memorat, Lib. IV. Fab. I. V. 16.

Aliquot secutis, venit & retorridus,  
 Qui sæpe laqueos, & muscipula effugerat.

Hinc Apuleius *Decipulum*, non *Decipulam* dixit. Hinc Commodianus, auctor vetus Christianarum Acrochitidum ita loquitur Instructione 48.

Escam muscipuli, ubi mors est, longè vitate.

Hæc scripseram, vulgaveramque, cùm incidi in Editionem Thes. Rob. Steph. Basil. an. 1740. in quâ legitur adjecta vox *Muscipulum*, & auctoritate Phædri defenditur.



## FABULA XVIII.

*Aries & Taurus.* <sup>9</sup>

NATURA tantis viribus muniverat  
 Arietis caput, armaveratque tam bonis  
 Cornibus, ut omnes lanigeros inter greges  
 Regnaret unus; & aries occurreret  
 Jam nullus, ipsi posset qui resistere.  
 Elatus ergo tot suis victoriis,  
 Taurum etiam stultus ad certamen provocat;  
 Simulque arietat; & repercussus simul  
 Taurinâ fronte, campum metitur jacens:  
 Tunc ferme exanimis, pristinam superbiam  
 Damnavit ipse, & hanc miser vocem edidit:  
 Successus obcæcatum me tenuit diu;  
 At justa, qui sim, calamitas nunc me docet.

## FABULA XIX.

*Cancer & ejus Filius.* <sup>1</sup>

UT prorsus <sup>2</sup> iret, filium retrogradum  
 Cancer monebat; at filius: *I prae* <sup>3</sup>; *sequar.*  
 Cuiquam ne objicias, quod tibi objici potest.

<sup>9</sup> Abstemius, Fab. LXXIX.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. XII. Fab. X. Benserade, Fab. XCVI. Aphonius, Fab. II. Gabrias, Fab. L. Avienus, Fab. III. Camerarius, Fab. CCXLV.

<sup>2</sup> Prorsus, sive prorsum ire, est restâ, quasi propositum versus, incedere. Plautus, Pseudol. Act. IV. Sc. I. V. ult.

Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet.

*Idem.* Pers. Act. IV. Sc. V. V. 5.

Simulato, quasi eas prorsum in navem.

<sup>3</sup> Terent. Andr. Act. I. Sc. I. V. 144.

## F A B U L A    X X.

*Agricolae & Mercurius.* <sup>4</sup>

IN ipsâ ripâ fontis Mercurio sacri  
 Agricola quondam dum succidit arbores,  
 Securis casu elapsa in undas decidit:  
 Quam recuperare nullo cum posset modo,  
 Lacrymare coepit. Motus misericordiâ  
 Mercurius homini apparuit, & exquisiit.  
 Lacrymandi causam; quam simul didicit, abit,  
 Mox &, securim deferens secum auream,  
 Redit; & an hæc sit, quae modò perdita est, rogat.  
 At eam suam esse pauper negat. Ergo alteram  
 Defert secundo Mercurius argenteam;  
 Quam cum esse pauper tunc quoque negaret suam;  
 Ipsi postremo ferream Deus obtulit:  
 Illam suam esse cum assentiret Rusticus;  
 Justum & veracem Mercurius hominem volens  
 Remunerari, simul omnes dono dedit.  
 Hinc ille socios ad suos sese refert,  
 Lætusque narrat ordine, quidquid accidit.  
 Quam rem experiri de sociis unus volens,  
 Ad fontem accedit, atque in undas dejicit  
 Securim; deinde flens in ripâ confidet:  
 Cujus ubi causam flendi rescivit Deus,  
 Securim defert auream, an sit hæc, rogans,  
 Quam perdidit: eam cum suam esse diceret;

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. I. Benserade, Fab. XCI. Æsopus, Fab. XLIV. Faernus, Fab. LXII. Jais, Tom. II. pag. 742.

Mercurius, cognitâ ejus impudentiâ,  
 Neque auream ipsi, neque etiam suam dedit.  
 Is meritò, injusta qui petit, nihil obtinet,  
 Et qui justa petit, plura, quàm petiit, refert.

## F A B U L A X X I.

*Aquila & Mus.* <sup>5</sup>

**I**MPLICITTA quondam cæcis laqueorum dolis  
 Aquila, ubi fensit, impetum simul exerit,  
 Et se expedire quærit; unicè hoc agit,  
 Irâ & furore fortis; & nil proficit.  
 Cujus laborem Mus videns, misertus est;  
 Abrosi ergo dente crebro vinculis,  
 In libertatem vindicat Armigeram Jovis.  
 At libera illa: Méne contemptissimæ  
 Debere vitam bestiolæ? Proh, Jupiter!  
 Dixit: suumque liberatorem necat.

## F A B U L A X X I I.

*Cycnus & Anser.* <sup>6</sup>

**C**YCNUM, Anseremque habebat quidam Villicus;  
 Suxæque mensæ destinabat alterum;  
 At alterum fervare cupiebat diu

<sup>5</sup> Richer, Lib. VII. Fab. V. Abstemius, Fab. LXX.<sup>6</sup> La Fontaine, Lib. III. Fab. XII. Benserade, Fab. CLXXVI. Æsopus, Fab. LXXIV. Faernus, Fab. XXV.

Gratum, canoræ ? vocis ob dulcedinem.  
 Aliquando, seram sub noctem, ad focum sedens,  
 Confabulansque : Noster nunc vobis, ait,  
 O pueri, qualis Anser esse creditur ?  
 Ego verò factum fatis obesum judico,  
 Respondet unus, hanc ut familiam tuam  
 Recreare possit non illiberaliter :  
 Sic ille, sic loquuntur deinde ceteri.  
 Herus ergo, eorum quandoquidem sententiam  
 Non improbat ipse, ad fabulum, Cycno, & Anseri  
 Commune, pergit, tamque præcipiti gradu,  
 Ut lumen <sup>8</sup> etiam ferre secum negligat :  
 Quæritat ; omittit Anserem, Cycnum capit,  
 Statimque misero frangeret guttur, nisi  
 Ille violentam sentiens mortem sibi  
 Instare, cantus inchoaret funebres,  
 Suavesque dirae fortis ad solatium.  
 Quos ubi canoros Villicus agnovit fonos :  
 Heu ! quantus error me, inquit, in malam prope  
 Necessitatem peccandi conjecerat !  
 Simul relinquit Cycnum, jugulat Anserem.  
 Quid blanda virtus suavis eloquentiæ  
 Præstare possit, ista fabella indicat.

7 Cantus Cycnorum, ut experientiâ constat, nullus est : adhuc tamen de Mulico dicimus, *il chante comme un Cygne* : ex eo nimirum, quòd omnis fere, quæ, ut ait Cicero, Orator. c. 50. *Habet auctoritatem in exemplis*, idem commemoravit antiquitas.

8 Horatius, Lib. I. Epist. II. V. 35.

Poltes ante diem librum cum lumine.  
 Quintilianus Institut. Lib. V. Cap. 12. pag. 452. Edit. Burman. *In rebus verò apertis argumentari tam sit stultum, quàm in clarissimum solem mortale lumen inferre.*



## FABULA XXIII.

*Equus & Asinus.*

INSTINCTUS odio, calcibus infestis Equus  
 Petivit Asinum, & vulnere afflixit gravi:  
 At medio in ictu malefacti pœnam sibi  
 Impegit ipse: tiliarum enim alteram  
 Luxavit, dissolutâ cartilagine;  
 Ita ut dolorem sævientem non ferens,  
 Coactus fuerit languidos artus humi  
 Deponere, ægro non sine luctu: quem videns:  
 Ego, inquit Asinus, malè valebam; sed mihi  
 Bene esse jam nunc incipit, cùm sic jaces.

*9 Laeso doloris remedium inimici est dolor.*

## FABULA XXIV.

*Lupus ovillâ pelle indutus & Pastor.* <sup>1</sup>

OVILLA pelle se Lupus contexerat:  
 Sic personatus ovium numerofo gregi  
 Immiscuit se perfidus. Quotidie  
 Aliquam bidentem devorabat clanculum.  
 Sed fraude Pastor cognitâ, tandem occupat  
 Incautum; & morte debitâ statim afficit.  
 Intereâ Opilio junior, rei inscius  
 Quid esset, quærit cur ovem dedat neci.

<sup>9</sup> Pub. Syrus, V. 340.

<sup>1</sup> Abstemius, Fab. LXXVI.



Hanc & ego pariter, inquit ille, putaveram  
Ovem esse; factis at probavit se Lupum.

Malos si occultat species, opera detegunt.

## F A B U L A X X V.

*Rusticus & Silva.* <sup>2</sup>

ESTO beneficus; at cui benefacias, vide.

In silvam venit Rusticus, capulum rogans  
Aptum securi tollere liceret suæ:

Quod cum, annuente Silvâ, fecisset; statim

Ferrum in beneficas vertere cœpit arbores;

Quarum ingemiscens una: Meritò cœdimur.

## F A B U L A X X V I.

*Canis & Lepores duo.* <sup>3</sup>

UNUM infecutus in campo Leporem Canis,  
Videt alterum; & eum similiter frudet <sup>4</sup> infequi;

Utrumque sed dum capere vult, neutrum capit,

Sibi ipsa semper aviditas nimia officit.

<sup>2</sup> La Fontaine, Lib. XII. Fab. XVI. Benferade, Fab. XXXIX. Anonymus à Neveleto editus, Fab. LIII. Hermannus, Edit. Rob. Steph. pag. 130. Gudius append. ad Phædr. Fab. V.

<sup>3</sup> Le Brun, Lib. IV. Fab. XXI. Mus. Rhetor. Tom. 2. p. 183.

<sup>4</sup> Corn. Nepos in Chabriâ sub fin. *Primus frudet portum intrare.*





## FABULA XXVII.

*Leo, Simius, & Vulpis.* <sup>5</sup>

QUÆCUMQUE paulò curtiore præditæ <sup>6</sup>  
 Caudâ fuissent belluæ, edixit Leo,  
 Suo ni excedant regno intra paucos dies,  
 Malo mulctandas, quotquot potuerint capi.  
 Pœnam ergo celeri Simius parat fugâ  
 Vitare; at ipsam similiter Vulpem videns  
 Effugere velle: Tu verò, inquit, quid times?  
 Ad tene legem pertinere existimas?  
 Respondit illa: Si malâ edictum est fide,  
 Facilè oratores invenientur perfidi,  
 Caudam mihi esse curtiorem qui probent.

## FABULA XXVIII.

*Aquila & Sol.* <sup>7</sup>

RADIANTIS Aquila Solis adversum jubar  
 Cùm sustineret irretorto lumine:  
 Quàm te, ait, acutùm cernere, ô lucis pater,  
 Credidero, quæ nil, absque <sup>8</sup> te esset, cernerem!

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. IV. Faernus, Fab. XCVII.

<sup>6</sup> Cicero, de nat. Deor. L. 3. c. 1. *Epicurus ... Deos confirmat membris humanis esse præditos.*

<sup>7</sup> S. Cyrillus, Lib. I. Fab. II.

<sup>8</sup> Plautus Mœnechm. Act. V. Sc. VII. V. 33.

Nam absque te esset, hodie nunquam ad Soiem occasum viverem.

Terentius Phorm. Act. I. Sc. IV. V. 11.

..... absque eo esset,  
 Rectè ego mihi vidissem.

Sol retulit : Ipsa quando cogit veritas  
 Dicere quod res est , audi , & errorem tuum  
 Depone : Tantâ luminum qui copiâ  
 Abundo , ut cœlum , & auras , & terram , & mare  
 Illustrem , cæcus ipse cernere nil queo.

Hos admonet fabella , qui lucem omnibus  
 Dilargiuntur , dum sibi ipsis nil vident.

## F A B U L A    X X I X .

*Liber & Prelum.*

A T me premeo cur gemis , dixit Liber  
 Prelum allocutus , ipse tacitus dum premo?  
 Respondit Prelum : Non meam doleo vicem ;  
 Sed quæ mala tibi incautus arcessis , gemo.  
 Frequens videlicet usus rerum jam diu  
 Me docuit , qualis expectanda sit Libris  
 Fortuna plerisque ; ac de te sic auguror :  
 Sollicita primùm curiositas levem  
 Aget hùc emptorum turbam ; fors etiam tibi  
 Plurima politorum hominum insudabit manus :  
 At mox severas vel tibi imponet notas  
 Censura gravis ; & vitia , quæ notaverit ,  
 In luce ponet irridenda publicâ :  
 Vel , quod gravius est , cùm te novitas deferet ,  
 Aut desinet excitare lectores tuos ,  
 Statim subibit ingravescens tædium ,  
 Et sempiternæ sepeliendum te dabit




Oblivioni : tum taciturnus <sup>9</sup> inertibus  
Præbebis epulas tineis , vel amicis <sup>1</sup> piper.

Prelum hîc quievit. At Liber invicem gemens:  
Lector , ait , omen benevolus malum obruat!

<sup>9</sup> Horatius , Lib. I. Epist. XX. ad Librum suum :  
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi  
Cœperis , aut tineas palces taciturnus inertes ,  
Aut fugies Uticam , aut vincetus mittêris Herdam.

<sup>1</sup> Idem Lib. II. Epist. I. fin.  
Deferar in vicum vendentem thus & odores ,  
Et piper , & quidquid chartis amicitur ineptis.





FABULARUM  
ÆSOPIARUM  
*LIBER SECUNDUS.*



PROLOGUS.



**M**E fabularum suavis indoles capit;  
Capit venustâ munditiæ latinitas  
Simplex, & arti prænitens facilis color  
Laboriosæ. Ergo meas omnes mihi  
Fere propellunt mentis ægritudines,  
Deleniuntve versibus lepidis suis,  
Monitisque doctis Phædrus ac Terentius:  
Quibus poëtam vix alium felicius  
Utile miscere dulci existimaverim.  
Ego porrò eorum lene scribendi genus  
Adhibere; quantùm licuit, admissus fui  
His concinnandis fabulis: quarum tibi,  
Lector, secundum exordiar jam nunc librum.



## F A B U L A I .

*Malus exspoliata.*

**O** N U S T A pulchris , optimisque fructibus  
 Superbiebat Malus : nam quotidie  
 Ad ipsam herilis ventitabat familia ,  
 Modò hoc , modò illud pomum , cui maturitas  
 Pretium addidisset , decerpenti gratiâ .  
 Sic illa amicos facere <sup>1</sup> stulta creditit :  
 At , præter folia , postquàm nil superfuit :  
 Eadem repentè sese desertam videns :  
 Heu ! fuerat , inquit , diviti nullus mihi  
**A** m i c u s , quoniam nullus est nunc pauperi .

## F A B U L A I I .

*Cervus & Hinnuleus. <sup>2</sup>*

**T** U canibus mole viribusque corporis  
 Longè es superior , dixit Hinnuleus patri ;  
 Etiamque magna cornua in capite geris ,  
 Quibus terribilem capere vindictam queas ;  
 Timendus ergo potiùs , hos quarè times ?  
 At ille : Quid ea memoras , quorum me pudet ?  
 Fugere ego certè nolim ; nec possum tamen  
 Non fugere , simul audivi latratus canum .

<sup>1</sup> Seneca . Epist. 9 . *Quæris quomodò amicum citò facturus sit .*

<sup>2</sup> Benserade , Fab. CLVII . Æsopus , Fab. LVI . Faernus Fab. XXIII .

Frustra excitantur, qui pavent: quem finxerit  
 Natura timidum, ratio nulla corrigit.  
 Tua tamen, Lector, si laboras hoc malo,  
 Fata ut sequare, fabula sequens admonet.

## FABULA III.

*Lepores & Ranae.* <sup>3</sup>

Agitatos Lepores assiduis terroribus  
 Cepit aliquando magnum vitæ tædium:  
 Coeunt; & omnes denique statuunt mori.  
 Quid enim? timere semper, hoccinè vivere est?  
 Hinc ergo tristes abeunt, & silentio  
 Aquas palustres proximi stagni petunt,  
 Finire vitam certi sub medio lacu.  
 At mœsta ripæ cùm propinquavit cohors:  
 Repentè notum in gurgitem perterritæ  
 Salière Ranæ. Hîc unus exclamans Lepus:  
 Heus, inquit, socii, quantus hîc nostrî quoque  
 Timor, videte; & inceptis abssistite:  
 Perstemus animis: timidi non adeò fumus,  
 Ut inveniri timidiore non queant.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. XIV. Benferade, Fab. CLX. Æsopus,  
 Fab. LVII. Gudius in appendice ad Phædrum, Fab. II.





## FABULA IV.

*Vulpecula & Gallina.* <sup>4</sup>

VULPECULA domum ingressa gallinariam,  
Solamque languentemque Gallinam videns,  
Exclamat: O mea soror, salvane es fatis?  
Aegroto, ait illa: tu recedas hinc tamen,  
Mea soror, & me habebō jam meliusculè.

Bonos juvare, cūm abeunt, incipiunt malī.

## FABULA V.

*Testudo & Aquila.* <sup>5</sup>

ARTEM volandi contumax addiscere  
Testudo voluit, & Aquilam elegit sibi  
Magistram. Ab ejus naturā alienum nimis  
Hoc esse dixit Aquila: enixiūs tamen  
Urgentem, & obstinatam accepit unguibus,  
Tulitque in auras. At ubi dimissa hæc fuit,  
Cecidit in saxum, & periit effractâ domo.

Natura dux est optima: ut juvat hanc sequi,  
Sic ire contra impunè nulli contigit.

<sup>4</sup> Richer, Lib. V. Fab. XX. Benferade, Fab. CLXXXI. Philip. Hegemon, Fab. XI. Locmanus, Fab. XXXIII. Gabrias, Fab. LXV.  
<sup>5</sup> Benferade, Fab. XCV. Æsopus, Fab. LXI. Avienus, Fab. II.







## FABULA VI.

*Puer & Agricolae* <sup>6</sup>

SUCCURRITE, lupus en adest, clamaverat  
 Semel iterumque per jocum nugax puer,  
 Custos bidentum, credulosque exciverat  
 Agricolas: at opem postulare ferio  
 Cùm deinde cogeretur, hi metuunt dolum,  
 Nec jam subveniunt; & lupus prædam rapit,  
 Quicumque mendax esse creditur, licèt <sup>7</sup>  
 Aliquando verum dicat, haud facit fidem.

## FABULA VII.

*Bubulcus & Leo.* <sup>8</sup>

QUÆRENS Bubulcus, quem juvenicum amiserat,  
 Lustravit omnem frustra solitudinem;  
 Demum invenire posse desperans, Jovi  
 Supplicat; & hædum, si sibi furem modò  
 Ostendere velit, ipsi maçtandum vovet.  
 Inde proficiscens, in quercetum devenit,  
 Ibique reperit, quem Leo vorabat, suum

<sup>6</sup> Richer, Lib. VI. Fab. XIX. Le Noble, Fab. CXLI. Benferade, Fab. LXXXVII. Æsopus, Fab. CCLXX. Barlandus, Edit. Rob. Steph. pag. 144.

<sup>7</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. X.  
 Quicumque turpi fraude semel innotuit,  
 Etiam si verum dicit, amittit fidem.

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. I. Philib. Hegemon, Fab. XXI. Æsopus, Fab. CXXXI. Faemus, Fab. LXXXV.



Juvenum Trepidus igitur, & perterritus,  
 Manusque tendens supplex ad cœlum: O bone,  
 O sancte Jupiter, ait, voveram quidem  
 Tibi hædum, si fur inveniretur mihi;  
 Nunc voveo tauram, si furem vitavero.  
 Humana sæpe vota perniciem petunt,

## FABULA VIII.

*Grues & Anseres.* <sup>9</sup>

**A**GRUM vastabant juncti Gruibus Anseres.  
 Quod cùm audiissent Rustici, illuc se ferunt.  
 Grues, simul eos aspiciunt, simul avolant;  
 Verùm capiuntur Anseres, quos impedit,  
 Soloque nimii <sup>1</sup> corporis onus detinet.  
 Suis Fortuna quem saginavit bonis,  
 Non facilè emerget præsentis periculo.

<sup>9</sup> Richer, Lib. II. Fab. XI. Æsopus, Fab. LX. Locmanus, Fab. XXXV. l.

<sup>1</sup> Phædrus, Lib. III. Fab. VII. V. 4.

..... Unde sic, quæso, nites,  
 Vel quo cibo fecisti tantum corporis?





## FABULA IX.

*Mula.* <sup>2</sup>

RECREATA posito largiùs Mula hordeo  
 Lasciviebat, inordinatos impetus  
 Molita. Me, inquit, sine dubio equus nobilis  
 Talem progenuit, qui fuit celerrimus,  
 Cui similis ego sum. Sed paulo post contigit,  
 Ut illa cessaret, ubi currendum fuit,  
 Vixque ambulare possiet. Tum dixit gemens:  
 Equi putabam generosi me filiam:  
 Sed asinum mihi fuisse nunc memini patrem.  
 Adversa <sup>3</sup> stultos admonent fortis suæ.

## FABULA V.

*Mors & Rusticus.* <sup>4</sup>

VETULUS redibat Rusticus è silvâ, ferens  
 Vix se, suumque fascem. Victus denique  
 Labore, & annis, posuit infelix onus.  
 Tum cogitare cœpit tristis omnia  
 Quæcumque perfert nunc, vel olim pertulit.

- <sup>2</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. VII. Benferade, Fab. CLXXI. Æsopus, Fab. CXL. Faernus, Fab. XXIX.  
<sup>3</sup> T. Livius, Lib. V. Cap. LI. *Adversæ deinde res admonuerunt religionum.*  
<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. I. Fab. XV. & XVI. Boileau, Tom. II. Rousseau, Tom. II. Æsopus, Fab. XX. Faernus, Fab. X. Tanaq. Faber ex Arabico Locmani. Fab. XIV. Jaius, Tom. II. pag. 740.



Nam quas faventis ille Fortunæ vices  
 Expertus unquam est? Tugurio sub paupere  
 Vitam <sup>5</sup> auspicatus, miserias inter miser  
 Reptavit infans: hinc malorum quis modus?  
 Vicini amantes litium: conjux mala:  
 Desidiâ inertes liberi: immodicis herus  
 Juvanđus operis: milites, domesticam  
 Quis sæpe oportet tradere supellectilem:  
 Rigidus coactor: creditor impatiens moræ:  
 Victûs facultas rara: perpetuus labor;  
 Ac denique mali plurimum; prope nil boni.  
 Hæc dum recenset, insuperque concipit  
 Imaginem <sup>6</sup> presentis infortunii  
 Senex misellus, calamitatis ad gradum  
 Venisse summum se putat: mortem invocat.  
 Adest: Quid, inquit, me rogas? .. Bona sis, precor.  
 Fascem hunc in humeros ut recipiam, me adjuva.  
 Mali medela Mors venit, gravius malum.

## F A B U L A X I.

### *Idem Argumentum.*

**F**ASCEM lignorum Rusticus, senex miser,  
 Portabat ægrè: longiore sed viâ  
 Fractus, victusque, abjecit infelix onus:

<sup>5</sup> Plinius, Hist. Lib. VII. præm. *Jacet . . . stens, animal ceteris imperaturum; & à suppliciis vitam auspicatur.*

<sup>6</sup> Ovidius, metam. Lib. 8. V. 96.  
 Turbatusque neci respondit imagine facti.

Mortem invocavit. Mors advènit. Tum Senex :  
Fascem, ait, in humeros hunc mihi reponas precor.

## F A B U L A XII.

*Agricola & ejus Filii.* <sup>7</sup>

**P**UGNARE inter se Filios quotidie  
Suos Agricola cùm videret, nec satis  
Potis esset eos in gratiam reducere;  
Jubet complures virgas afferri sibi,  
Omnesque in unum deinde fascem colligat;  
Tum fascem caperent, ac perfringerent, monet:  
Quod illis verò efficere non valentibus;  
Virgas dissolvit, frangendasque singulas  
Distribuit; hasque cùm fregissent: Vos, ait,  
Vos pariter arctis unanimitas <sup>8</sup> nexibus  
Si societ, eritis firmi, inexpugnabiles;  
Sin dissociârît invida æmulatio,  
Facilem offeretis hostibus victoriam.  
Hæc vera quàm sint monita providi patris,  
Nemo est, opinor, qui mecum non sentiat:  
Res tamen ut etiam fieret omnibus magis  
Perspecta, placuit addere exemplum sequens.

<sup>7</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. XVIII. Benserade, Fab. XCIII. Laur. Valla, Edit. Rob. Steph. pag. 56. cujus verba nonnulla retinimus.

<sup>8</sup> Titus Livius, Lib. IV. Cap. VIII. *Eumenem, Attalumque fratres . . . cuilibet Regum hujus ætatis nulla re magis, quàm fraternâ unanimitate regnum aquâsse.*



## FABULA XIII.

*Tauri quatuor & Leo* <sup>9</sup>

SANXERE Tauri quatuor <sup>1</sup>, periculum  
Cujusque ut omnes reputarent proprium sibi.  
Simul pascentes hos videt Leo, nec tamen  
Cunctos audet aggredi, quanquam esurit;  
Primùm ergo verbis dat operam fallacibus;  
Segregat; ac demum segregatos enecat.

Addit vim invictam fortibus concordia:  
Discordia frangit ipsam fortitudinem.

## FABULA XIV.

*Lupus & Ovis.* <sup>2</sup>

MULCATUS olim <sup>3</sup> moribus diris canum  
Lupus jacebat potùs & cibi indigens;  
Ovem rogavit, ut aquulam afferret <sup>4</sup> sibi

<sup>9</sup> Benferade. Fab. CVIII. Le Noble, Fab. CIX. Aphtonius, Fab. XVI.  
Avienus, Fab. XVIII. Tanaq. Faber ex arabico Locmani, Fab. I.

<sup>1</sup> Non modò litera *t* geminanda non est in voce *quatuor*, ut longa prima  
syllaba fiat, sed etiam brevem unquam ab ullo veteri Poetâ factam  
illam fuisse non puto.

<sup>2</sup> Benferade, Fab. CCII. Æsopus, Fab. CVI.

<sup>3</sup> Terentius Adelph. Act. I. Sc. II. V. 9.

.... Ipsum dominum, atque omnem familiam  
Mulcavit usque ad mortem.

Cicero, orat. pro Mil. Cap. XIV. *Quò in turbâ C. Vibienus ita est  
mulcatus, ut vitam amiserit.* Ibi enim *mulcatus*, non *multatus*  
legendum est, quod & ratio ipsa non minùs apertè, quàm opti-  
morum codicum fides, demonstrat. Aliud est igitur, multare  
mortem: aliud, mulcare usque ad mortem. Vide præterea notam  
ad Fab. XXXI. Lib. X.

<sup>4</sup> Scio potum afferri ab ove non posse facilè: at fabularum scriptoribus  
multa hujuscemodi condonanda sunt.

De prætereunte rivulo : Nam si modò  
 Tu dederis, inquit, potum; egomet posthac cibum  
 Inveniam facilè. At illa, fraude cognitâ,  
 Sic retulit: Potum stulta si darem tibi,  
 Cibum invenires facilè; meisam scilicet.  
 Periculosum est adjuvare maleficum,

## F A B U L A V.

*Gallina Ova pariens aurea.* <sup>5</sup>

QUOD lucrum habetur in manibus, hoc sæpius  
 Habendi plura cupiditate amittitur.

Habebat aliquis ova parientem aurea  
 Gallinam: homo <sup>6</sup> meus hanc auro plenam ratus  
 Cædit, aliisque gallinis fimilem invenit.

## F A B U L A XVI.

*Lupus & Anicula.* <sup>7</sup>

PER arva Lupus errabat, escam quæritans:  
 Ausus ad agrestem progredi casam, audiit  
 Plorantem puerulum, increpantemque Aniculam:  
 Plorare desine: pergis? tradam te Lupo.

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. XIII. Benferade, Fab. CXX. Æsopus, Fab. CXXXVI. Avienus, Fab. XXXIII.

<sup>6</sup> Phædrus, Lib. V. Fab. VII. V. 32.

Homo meus se in pulpito  
 Totum prosternit. Plaudit illudens Eques.

<sup>7</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. XVI, Benferade, Fab. XCIV. Philib. Hegemon, Fab. XIII. Æsopus, Fab. CXXXVIII. Aphthonius, Fab. XXXIX. Avienus, Fab. I. Faernus, Fab. LXXVI.



Prædo locutam feriò Aniculam ratus,  
 Expectat usque ad vesperum; sed cùm diem  
 Nox obruissèt, rursus audit puerulo  
 Adblandientem: Dormi, pupe mi; hùc Lupus  
 Si venerit, eum continuò mactabimus.  
 Tunc abiit ille, se esse delusum dolens;  
 Et: Male sit, aiens, impudenti feminæ,  
 Quæ dicit aliud, aliud autem cogitat!

## F A B U L A X V I I .

### *Ovis & Cornicula.* <sup>8</sup>

CORNICULA sedens in Ove dum tergum fodit:  
 Injuriam ex te quam patior, inquit Bidens,  
 Cani si faceres, ferres <sup>9</sup> infortunium.  
 Respondet illa: Quibus ego illudam, scio,  
 Molesta placidis, morigera ferocibus.  
 Malitia sæpe comitem habet prudentiam,

<sup>8</sup> Benferade, Fab. LXIII. Barlandus, Edit. Rob. Steph. pag. 145.

Burn nius, append. ad Phædr. Fab. XXVII.

<sup>9</sup> Terentius, Adelph. act. 2. Sc. 1. v. 24.

Si attigisses, ferres infortunium.







## FABULA XVIII.

*Asellus & Equus.* <sup>1</sup>

EQUUM labore nimio confectus rogat  
 Afellus, ut, se comitem si saluum velit,  
 Juet, onerisque parte paulisper leuet.  
 Quod ille cùm renueret: omnis denique,  
 Labentem Afellum deferit vigor. Ast herus  
 Onus omne, & ejus corium quoque demortuū  
 Equo reponit in dorsum; quibus fere  
 Oppressus ille: Pro merito, dixit, meo  
 Exerceor nunc, qui laboranti prius  
 Afello durus opitulari nolui.

Qui socio subvenit, ille providet sibi.

## FABULA XIX.

*Leo & Capra.* <sup>2</sup>

CONSILIA qui dant, sæpe consulunt sibi.  
 Stantem Leo videns rupe in excelsâ Capram,  
 In pratum ut illa potiùs descendat, monet,  
 Quò molle gramen, teneraque invirat salix.  
 Capra refert: Faciam; hinc si procul discesseris;  
 Qui non, ut meliùs mihi sit, hoc suades mihi,  
 Sed ut habeas tu, quod vores famelicus.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. XVI. Æsopus, Fab. CXXV. Faernus, Fab. XVI. Burmannus, append. ad Phædr. Fab. XIV. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I. pag. 745.

<sup>2</sup> Benfèrade, Fab. CXIV. Le Noble, Fab. CLVIII. Æsopus, Fab. CCXXXIV. Avienus, Fab. XXVI.



## F A B U L A   X X.

*Leo Senex & Vulpis.* <sup>3</sup>

**L**EO factus esset cùm senex, nec quærere  
 Victum sibi possiet, machinatus est dolum,  
 Quò ne deficeret alimentorum copia:  
 In intimam repentè secessit specum;  
 Ibique se ægrotare simulavit jacens.  
 Per nemora & agros postquàm res innotuit,  
 Aliæ post alias adeunt plures bœstiæ:  
 Quas ille capiens facilè singulas necat.  
 Vulpis & accedit; at ejus arte cognitâ,  
 Stat extra limen, hinc salutatur; & pedem  
 Procul referre celeriter cùm jam parat:  
 Senex malignè blandiens: Cur non, ait,  
 Ingredere, filia? ... Terret id me scilicet,  
 Venientium ad te multa quòd vestigia  
 Impressa video; nulla sed redeuntium.  
 Cùm se dolosis artibus mitem exhibet,  
 Tunc est timenda maximè crudelitas.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. XIV. Benferade, Fab. LV. Philib. Hege-  
 mon, Fab. IX. Æsopus, Fab. CXXXVII. Faernus, Fab. LXXIV.  
 Tanaq. Faber ex arabico Locmani, Fab. VI. Burmannus, append.  
 ad Phædr. Fab. XXX.



## FABULA XXI.

*Fringuilla.* <sup>4</sup>

AUCEPS Fringuillam <sup>5</sup> cùm cepisset, ac pedem  
 Filo alligâsset, puerulo hanc dono dedit.  
 Sed inter homines illa vitam non ferens,  
 Ubi libertatis aliqua se spes obtulit.  
 Fûgit, notisque nemoribus se condidit.  
 At subsecutum ramulis filum inscia  
 Implicat; & ultra jam volare non potest;  
 Reperitque mortem, servitutem dum fugit.

Leve damnum suffer, ne grave incurras malum.

## FABULA XXII.

*Ranae duae.* <sup>6</sup>

CUM fureret æstas immodica, suam duæ  
 Paludem Ranæ siccatam reliquerant,  
 Inopesque circùm errabant quærentes aquam,  
 Ad puteum tandem deveniunt; utque uberi

<sup>4</sup> Æsopus, Fab. CII. Faernus, Fab. LXXXV.

<sup>5</sup> Gallicè *Pinçon*. Alii fringillam, alii etiam frigillam vocant. Verum nomen fringuilla. Varrò enim de Linguâ Latinâ, Lib. VI. sub fin. *M. Atilius*, inquit, *in Cœnâ: Quid fringutis? quid istud tam cupidè cupis?* Calinæ, Act. II. Sc. IV. V. 40. Verba ista Plauti leguntur: cujus vulgatæ quidem editiones habent *friguttis*: at *fringutis* vera esse lectio videtur. *Fringutire* autem ab antiquo *fringuere* deductum, & id cum sono subsillire esse puto. Vide Nonium, Cap. I. Sect. XXI.

<sup>6</sup> Benferade, Fab. CXXI. Æsopus, Fab. XIX. & CXLVII. Faernus, Fab. XXXVII.

Illum scatere aquarum copiâ vident,  
 Perbibere cupiunt ; unaque: Huc age, ô foror,  
 Quin, inquit, saltu mittimus corpuscula?  
 Sed altera: Hic si puteus aruerit quoque,  
 Inde remeare quo valebimus modo?

Itus est imprudens, de reditu si non liquet.

## FABULA XXIII.

*Cerva, Venator, & Leo.* <sup>7</sup>

VENATOREM olim Cerva fugiens, in feri  
 Leonis antrum se imprudens receperat:  
 Quæ comprehensa dum necatur: Hei mihi,  
 Quid, inquit, hominem tam celeri prodest pede  
 Fugisse sævum? sævior occurrit fera.

Vitas Charibdim frustra, si in Scyllam incidas. <sup>8</sup>

<sup>7</sup> Æsopus, Fab. LXIV. Tanaq. Faber ex arabico Locmani, Fab. VIII.

<sup>8</sup> Philipp. Gualterus Alexandreidos, Lib. V. V. 301.

Incidis in Scyllam, cupiens vitare Charibdim.

Qui versus deinde, reposito *incidit* pro *incidis*, in proverbiorum numerum relatus est.



## FABULA XXIV.

*Formica & Columba.*<sup>9</sup>

FORMICA sitiens ad fontem descenderat;  
 Sed illam aquarum fluxus in præceps trahit:  
 Peribat misera, cùm sortem ejus intuens  
 Columba, miseransque injicit ramusculum:  
 Quo sublevata naufraga evadit necem.  
 Post paulò, instructus arcu, quidam Rusticus  
 Advênit illuc fortè; & obviam sibi  
 Columbam aspiciens, figere hanc telo parat.  
 Sentit periculum Formica, & piæ timens  
 Columbæ, talo Rustici sese applicat,  
 Ipsumque mordet, adnitens, quantum<sup>1</sup> potest.  
 Doloris ille impatiens obvertit caput;  
 Simulque volucris admonita procul evolat.  
 Juva, ut juveris; rarò beneficium perit.

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. XII. Benferade, LXXXVIII. Æfopus, Fab. XLI.

<sup>1</sup> Terentius And. Act. V. Sc. II. V. 20.

Sublimem hunc intrò rape, quantum potes.  
 Eun. Act. 2. Sc. 3. V. 85.

Duc, quantum potes.

Plautus, Aul. act. 2. Sc. 9. v. 2.

Congrum, Murænam exdorua, quantum potes,

Mostel. Act. 3. Sc. 2. v. 71.

Dare vult uxorem filio, quantum potest.

Hæc loquendi formula sæpissime apud Plautum ac Terentium recurrit.





## F A B U L A    X X V.

*Apes & ipsarum dominus.* <sup>2</sup>

HERUS cùm abesset, &, operosa gens, Apes  
 Labore dulci detinerentur foris;  
 Ingressus aliquis in mellarium, favos  
 Diripuit. Mox reversus, ut apiaria  
 Effracta, inanesque alveolos Herus videt,  
 Ingemere primùm, deinde malo, quaquà licet,  
 Cœpit mederi. Redeunt è pastu interim  
 Apes, herumque non aliter, ac si mali  
 Auctor fuisset, simul omnes aculeis  
 Fodicare certant. Tunc: O volucres pessimæ,  
 Ait ille, quis vos in meam impellit furor  
 Perniciem, vobis dum utilis meus est labor?

Aliena damna tempore dextro ni leves,  
 Opera tua damno sæpe vertetur tuo.

## F A B U L A    X X V I.

*Afinus silvestris & Afinus domesticus.* <sup>3</sup>

SILVESTRIS <sup>4</sup> Afinus Afinum cùm domesticum  
 Pinguem, nitentem, teneraque inter gramina  
 Vernantis agri luxuriantem <sup>5</sup> cerneret:

<sup>2</sup> Æsopus, Fab. LXXXV.

<sup>3</sup> Æsopus, Fab. CXI.

<sup>4</sup> Varro de re rusticâ, Lib. II. Cap. VI. *Horum genera duo: unum ferum, quos vocant Onagros. In Phrygiâ & Lycaoniâ sunt greges multi. Alterum mansuetum, ut sunt in Italiâ omnes.*

<sup>5</sup> Ovidius, Fast. Lib. I. V. 156.

Sorte hujus, inquit, me frui, quidnam vetat?  
 Quin adeo? & focium habere me velit, rogo?  
 Secum ita locutus, rusticum immitem videt,  
 Inhonestas qui clitellas huic beatulo<sup>6</sup>  
 Imponit, & mox ire cogit ad locum,  
 Ubi cæsa fuerant ligna, quæ dorso super  
 Congesta si non is fatis properè vehat,  
 Nodoso fuste dux pigrantem fuscitat.  
 Ad sua tum gaudens latibula revertit Ferus;  
 Tuasque, non invideo, delicias habe  
 Tibi solus, inquit, bajule ô patiens nimis!  
 Nulla est beata servitus; & hæc mihi,  
 Quantumvis misera, contra libertas placet.

## FABULA XXVII.

*Mus in cistâ natus.*<sup>7</sup>

IN cistâ natus Mus erat: menses ibi  
 Aliquot, quietus, & suâ quidem fatis  
 Contentus forte (quippe nil aliud putans  
 Melius sibi evenire posse) vixerat.

Ludit & in pratis, luxuriat que pecus.

Metam. L. IX. V. 266.

Ut que novus serpens, positâ cum pelle fenestâ,  
 Luxuriare solet,

6 Perſius, Sat. 8. v. 103.

Tandemque beatulus alto  
 Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,  
 In portam rigidos calces extendit.

Horatius, L. I. Sat. I. V. 15.

Decies centena dedisses

Huic parco, paucis contento; quinque diebus  
 Nil erat in loculis.

7 Abstemius, Fab. I.

Sed cupiditate aliquando tandem captus est  
 Hinc exeundi, & explorandi, an hæc suâ  
 Cistâ pateret mundus multò latiùs.  
 Peregrinandi cupido januam exhibet  
 Fissura tenuis; illàc prorumpit levis.  
 At curiosus singula vix circùm incipit  
 Lustrare, varias hinc & hinc dapes videt:  
 Degustat omnes; laudat omnes. Nunc meî  
 Ut me pudet, ait, qui meâ cistellulâ  
 Nihil esse melius posse mihi putaverim!

Cives ad istos hæc fabella pertinet,  
 Qui stultè amantes patrium solum, boni  
 Vix alibi quidquam posse reperiri putant.

## F A B U L A   X X V I I I .

*Milvus & Agricola.* <sup>8</sup>

**C** O L U M B A M dum persequitur, in laqueum incidit  
 Milvus <sup>9</sup>, & ipsum dedere cùm vellet neci  
 Agricola: Parce, non enim te læsi, ait.  
 At ille: Neque te, opinor, ista læserat.

Mortem innocenti qui parat, jure hanc subit.

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. XV. Benferade, Fab. XXXVI. Abstemius, Fab. III.

<sup>9</sup> Jam diu est cùm Gifanius, Lambinus, Gruterus, Vossius, Gudius, & alii docuerunt, reperi semper scriptum in optimis Codicibus vel *miluum*, vel *milvum*, nunquam verò *milvium*: Observavit etiam Tanaq. Faber, à voce *miluus* factam esse vocem *miluina*, quæ legitur apud Plautum, Mænech. Act. I. Sc. 3. v. 29. alioquin dicensum fuisse *milviens* quemadmodum à læpio dicitur *lanisna*,









## FABULA XXIX.

*Femina mortem pro marito appetens.* <sup>9</sup>

MORBO gravatum Femina maritum videns  
 Acerrimo, ut qui jam fere sit arborberet,  
 Lamentabatur: An meum potest mihi,  
 Mors dura, barbara, eripere, aut conjugem?  
 Desiste, ah! vel si victimam tibi denique  
 Mactari oportet, victima en adest; veni.  
 His excitata questibus Mors advenit:  
 At trepida mulier: Non, me ut tolleres, ait,  
 Huc te advocavi; victimam cape, en jacet.

Magnifica verba vanus effundit dolor:  
 Præsens periculum veras voces <sup>1</sup> exprimit.

## FABULA XXX.

*Afinus, Simia & Talpa.*

DUM conqueruntur, Simia quòd desit sibi  
 Cauda, afinus autem quòd non habeat cornua:  
 Tacete, dixit Talpa; me miserrimum  
 Cæcum videtis, & potestis conqueri?

<sup>9</sup> Richer. Lib. III. Fab. VI. Benferade, Fab. CXCIV. Abstemius, Fab. LX.

<sup>1</sup> Lucretius, Lib. III. v. 57.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo  
 Ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.

Phædrus, Lib. V. Fab. V. V. 33.

Et cum dolore vocem naturæ exprimit.



Luctu, & querelis cur ævum consumimus?  
 Quin intuemur, fors si quem gravior premit?  
 Misero levamen miserioris est malum.

## F A B U L A   X X X I.

### *Lupus & Hystrix.* <sup>2</sup>

**H**OSTES tibi esse quamdiu cognoveris,  
 Pugnandi tempus semper esse existima.

Jejunus olim in Hystricem <sup>3</sup> incidit Lupus:  
 Suis at illa ut tota spiculis erat  
 Vallata, timuit vi prædator aggredi;  
 Prætentans ergo rem dolo: Cur sic, ait,  
 Armata semper, ut in procinctu milites,  
 Procedis? atqui milites ipsi tamen  
 Quandoque ponunt arma; nuncque ubi suis  
 Omnia gubernat pax amica legibus,  
 Hostem tu sola quem times, vel quem petis?

<sup>2</sup> Richer, Lib. XII. Fab. IX. Benferade, Fab. LXVIII. Abstemius, Fab. LXIX. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I. Pag. 747.

<sup>3</sup> Hystrix gallicè *Porc-epic*. Plinius Hist. Lib. VIII. Cap. 35. *Hystrices generat India & Africa, spinâ contectas, ac Herinaceorum genere: sed Hystrici longiores aculei, & cum intendit cutem, missiles.*

Calpurnius Eclogâ VI. V. 13.

Hirtutâ spinosior Hystrice barba.

Hystricem masculini generis facit Claudianus Eidyllio II. V. 4.  
 Ceterum hanc ille bestiam ibidem fusè latèque describit:

Stat corpore toto

Silva minax; jaculisque rigens in prælia crescit  
 Picturata feges. . . . .


. . . . . Tertumque per auras

Evolat excussò nativum missile tergo.

. . . . . Fert omnia secum:

Sè pharetrâ, sese jaculo, sese nititur arcu.

Unum animal cunctas bellorum possidet artes.



Age verò, hæc arma pone, quæ te dedecent,  
 Corpusque tandem delicatum libera.  
 Cui retulit Hystrix: Adversùs fimiles tuû  
 Me stare semper armatam decet, ac juvat.

## FABULA XXXII.

*Equus ægrotans & Canis.* <sup>4</sup>

EQVVS ægrotabat: mandere affluetus Canis  
 Projecta cadavera, adiit hunc; & quæsiit,  
 Quomodò se haberet: Meliùs, inquit, quàm velis.

Fabula ad avorum spectat hæredum genus.

## FABULA XXXIII.

*Vir eruditus, & Troffulus.* <sup>5</sup>

VIRUM eruditum, cum suis solum libris  
 Bene otiantem, quidam adivit Troffulus  
 Petulanter, ut fit, irridendi gratiâ,  
 Bellos quòd homines sic perosus scilicet,  
 Vitam inficetis solus in tenebris agat.  
 At ille: Nunquam memini me, dixit, magis  
 Fuisse solum <sup>6</sup>, quàm cùm nunc mecum hîc ades.

<sup>4</sup> Richer, Lib. III. Fab. XVII. Le Noble, Fab. CXL, Abstemius, Fab. LXIV.

<sup>5</sup> Richer, Lib. VIII. Fab. II. Benferade, Fab. CXCIX. Abstemius, Fab. LXXV.

<sup>6</sup> Cicero de Offic. Lib. III. Cap. I. Init. *Pub. Scipionem. . . . dicere solitum scripsit Cato . . . . nunquam se minùs otiosum esse, quàm cùm otiosus; nec minùs solum, quàm cùm solus esset.*

Si tantùm ineptus, nec etiam fuerit malus,  
Nihili menfuram Troffulus totam replet.

## F A B U L A   X X X I V .

*Canis infidelis, & Pastor.* <sup>7</sup>

O V E S custodiendas tradiderat Cani,  
Cani infideli Pastor, ignarus mali.  
Namque ille vitiis corruptus, mores feros  
Luporum cœperat imitari, & impio  
Aliquot bidentes ore jam voraverat  
Quod execrandum Pastor ut novit scelus,  
Simul expiare morte scelerati parat.  
Méne, Canis inquit, me, quasi si lupus forem,  
Maçtare possis, here mi, violentâ manu?  
Reserva tales hostibus pœnas lupis:  
Prudensque serva me tibi addictum Canem.  
At Pastor: Hostes sunt mihi quidem lupi:  
Hostes sed illi sese profitentur meos:  
Te contra, amicus qui videbaris mihi,  
Nunc morte tantò digniorem judico,  
Scelere lupino, quòd sefelleris fidem.  
Hos fabula esse bis sceleratos indicat,  
Quos ad patrandum perfidia movit scelas.

<sup>7</sup> Abstemius, Fab. LXXVIII.





## F A B U L A   X X X V .

*Lucius latè regnandi cupidus.* <sup>8</sup>

IN amne , magnam piscium qui copiam  
 Profundo alebat gurgite , ferus , & potens  
 Regnabat olim Lucius <sup>9</sup>. At eum piget,  
 Riparum iniquas objici moras <sup>1</sup> suæ  
 Rapacitati : & : Hæc , ait , nobis vago  
 Quæ pectus igne subigit , ac depascitur  
 Cupiditas , sese finibus angustiis gemit  
 His contineri ; quærendum est , ubi latiùs  
 Excurrere possit : Memini cùm mihi diceret  
 Peregrinus iste Salmo <sup>2</sup> , commodè fatis  
 Patere tractus oceani ; certè hos lubet  
 Invadere : meis legibus neptunios  
 Compellere greges , opera magni non erit  
 Laboris : Hic namque universum jam diu  
 Genus natantum opprimere , ludus est mihi.  
 Vix ea locutus , prono fertur alveo ,  
 Petitque pinnâ præcipiti , quantum <sup>3</sup> potest ,

<sup>8</sup> Abstemius , Fab. LXXXII.

<sup>9</sup> Lucium memorat Aufonius in Mosellâ V. 122. ad quem locum Vinetus : *Santonæ* , inquit , *mei* Bequet *vocant* . . . . *Alii Galli etiam* Brochet.

<sup>1</sup> Virgil. Æn. Lib. IX. V. 143.  
 Fossarumque moræ.

<sup>2</sup> Plinius Hist. Lib. IX. Cap. XVIII. *In Aquitaniâ Salmo fluvialis marinis omnibus præfertur.*

<sup>3</sup> Terent. Adelph. Act. III. Sc. II. V. 52.

Tu , quantum potes ,

Abi.

Fluctus marinos : sed in ipso amnis ostio <sup>4</sup>  
 Illum marinus capit & absorbet Lupus. <sup>5</sup>

Ambitio prava, quantis afficeret malis  
 Hunc orbem, haberes ni dementiam ducem!

## FABULA XXXVI.

*Afellus viridis.* <sup>6</sup>

**A**SELLUM quidam per vias urbis suum  
 Voluit colore viridi pictum incedere.  
 Ridicula primùm visa res est omnibus;  
 Viridemque Afellum feminæ, pueri, senes  
 Certatim lepidis concelebrârunt jocis:  
 At mox ubi illi denique riferunt fatis,  
 In Afello viridi, præter Afellum, nil vident. <sup>7</sup>  
 Mirari quidquam non valent homines diu.

<sup>4</sup> Cicero, orat. in Anton. II. Cap. XI. *In Ciliciâ, ad ostium fluminis Cyni.*

<sup>5</sup> Atheneus, L. 7. c. 28. Lupis marinis dicit esse caput prægrande: Ipsosque proceros vocat Horatius, L. 2. Sat. 2. V. 36.

<sup>6</sup> Abstemius, Fab. LXXX.

<sup>7</sup> Facile erat scribere:

In viridi Afello, præter ipsum, nil vident.  
 Quod si cui magis placuerit, sic legat per me licet,







## FABULA XXXVII.

*Leo & Rana,* <sup>8</sup>

VALDE loquacem cùm Ranam audisset Leo,  
Timuit, & aliquod esse magnum animal putans,  
Retro se vertit: at mox è stagno videt  
Ranam exeuntem, quam indignans calcat pede.

Injicere falsos fortibus animis metus  
Periculosum quàm fit, exemplum hoc probat.

## FABULA XXXVII.

*Agricola & Fortuna.* <sup>9</sup>

AGRICOLA, terram fodiens, thesaurum invenit,  
Aufertque, nec eum Fortunæ acceptum refert;  
Sed etiam meritis debitum credit suis.

Thesaurum hinc aliquot post dies fur subripit:  
Afflictus ergo luctu inconsolabili <sup>1</sup>

Agricola questibus omnia insanis replet,  
Et aspera inter verba Fortunam increpat.

Quid me, inquit illa, gravibus immeritam probris  
Laceffis? atque, quod tibi ereptum est bonum,

<sup>8</sup> Æsopus, Fab. XXXVII.

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. VII. Fab. XIV. Richer, Lib. XII. Fab. XIII.  
Æsopus, Fab. LXXXII. Avienus, Fab. XII.

<sup>1</sup> Ovidius Metam. Lib. V. V. 426.

Mœrens inconsolabile vulnus

Mente gerit tacità.

Cicero ad famul. Lib. IV. Epist. III. med. *Est omnino vix consolabilis dolor.*



Meî faventis <sup>2</sup> munus hoc si non fuit,  
Cur nunc meam reflantis hanc culpam <sup>3</sup> vocas?

## F A B U L A   X X X I X .

### *Tulipa.*

**H**A B E B A T aliquis maximæ Tulipam <sup>4</sup> spei,  
Ac singulari quæ jam pulchritudine  
Oculos tuentûm dulci retineret morâ;  
Tam recto caule, tamque procero suas  
Attollebat opes: tam rotundatus bene  
Tam delicatâ varietate dispares  
Calix colores explicabat vividos!  
Florum eruditi quotquot amatores erant,  
Cupiditate omnes curiosâ perciti,  
Tulipam volebant visere formosissimam,  
Omnes amabant, omnes cupiebant sibi  
Habere propriam; quorum unus versutior,


<sup>2</sup> Cicero, ad famil. Lib. 2. Epist. 6. *Eam rem unius tui studio me assequi posse confido.* Orat. in Catilin. 4. c. 4. *Uterque pro sui dignitate. . . in summa severitate versatur.* Recentiores contra fidem mss. Codicum, & veterum editionum auctoritatem pro sua dignitate reposuerunt. Ovidius, Metam, Lib. 1. v. 30. de tellure:

Et pressa est gravitate sua.

Similium exemplorum multitudine superfedeo.

<sup>3</sup> Cicero, ad famil. Lib. 15. Epist. 15. *Horum malorum omnium culpam Fortuna sustinet.*

<sup>4</sup> Tulipa, flos allatus est Turciâ, vocabatur gallicè ante annos centum circiter & sexaginta, non *Tulipe*, sed ut etiamnum in Germaniâ, *Tulipan*, propter similitudinem suam cum pileo turcico: quem pileum hodie vocamus *Turban*, Turcique, quantum audio, vocant *Tulban*. Consule tractatum Vossii, de vitii sermonis, Lib. 2. c. 18. pag. 307. Martini Lexicon philologicum; & Librum, qui inscriptus est, *Epistres Françaises des personnaiges illustres & doctes d Mr. Joseph-Justa de la scala.* Harderwyck. 1624. in 8. Lib. 2. Ep. 96. pag. 348.



Audaciorque ceteris, illam, datâ  
 Occasione, furaci abstulit manu.  
 Difficilè custoditur, quod multis placet.

## FABULA XL.

*Pueri & Ranae.* <sup>5</sup>

P U E R I ad inertis stagni venerant aquam  
 Ranis refertam; simul in ripâ confident;  
 Simul, bacillis instructi ut longis erant,  
 Modò hanc, modò illam, si caput fortè efferat,  
 Ranam jocantes mulcant <sup>6</sup> ac dedunt neci.  
 Tum procul exclamat una: O barbari, quibus  
 Hæc tanta clades nostra dulcis est jocus!

Ad hos fabella pertinet, quorum procax  
 Sæpe dominatus miseros ludendo opprimit.

## FABULA XLI.

*Pisces.* <sup>7</sup>

J A C T I S in undas retibus, magni quidem  
 Capti sunt Pisces; at minuti se ilicèt  
 Extricavêre, facilè permeantibus  
 Corpusculis fenestras lineæ domûs.

<sup>5</sup> De la Motte, Lib. III. Fab. V, Camerarius, Fab. CDXVII.

<sup>6</sup> Vide not. ad Fab. XIV, hujus Libri.

<sup>7</sup> Benferade, Fab. CIII, Ætopus, Fab. CLVII.



Fortuna rarò summis injiciens manum  
Fallitur : in imos manca <sup>8</sup> sæpius ruit.

## F A B U L A   X L I I .

*Puer & Coluber.* <sup>9</sup>

**O** B A M B U L A N D O reperit Colubrum Puer  
Gelu rigentem ; quem recepit in sinum  
Misericors & refovit , inscius mali.

At ille , pristinus ubi redditus est vigor,  
Furit , impioque dente beneficum necat.

Homo vivit , esse qui miser cùm desit,  
Cæpit salutis lædere auctores suæ.

<sup>8</sup> Horatius , Lib. II. Sat. VII. V. 88.

In quem manca ruit semper fortuna.

<sup>9</sup> Benferade , Fab. VIII. Æsopus , Fab. CLXXIII. Phædrus , Lib. IV. Fab. XVI. Mea autem hæc Fabula , sed & decima Libri tertii , ac decima oëtava Libri quarti imprudenter quidem , & contra quàm proposueram , concinnatæ à me atque editæ sunt : eas etiam repudiare decreveram : at postmodùm esse hoc nomine servandas censui , quòd paulo diversam à ratione Phædri , neque tamen absurdam exhibere rationem vitæ sunt.





## FABULA XLIII.

*Rosa & Amarantus.* <sup>1</sup>

QUIS non coloris nostri puniceum decus,  
Quis non odoris tuaves delicias amat?  
Dixit Amaranto, sibi placens nimum, Rosa.

Amarantus autem: Nil, ait, mihi quidem  
Contingit horum simile; sed vivo diu.

<sup>1</sup> Benferade, Fab. CXXXI. Æsopus, Fab. CCLX





FABULARUM  
ÆSOPIARUM  
LIBER TERTIUS.



PROLOGUS.



FABELLÆ, ab ipso quas Æsopi nomine  
Nostri priores <sup>1</sup> dixerunt Æsopias <sup>2</sup>  
Placuere priscis Græciæ doctæ viris,  
Summisque: nec eas, tanquam aniles nœnias,  
Infantibusve pueris vendibiles jocos,  
Contempsit ulla docta gens mortalium.

<sup>1</sup> Plinius Jun. Lib. III. Epist. IV. *Veniebat in mentem, priores nostros, &c.* quo nomine veteres ille Oratores vocat.

<sup>2</sup> Dicit etiam postant Æsopææ, ut Phædrus, Lib. V. Prol. V. II. eas appellat. Sic & Cicero, Acad. Quæst. Lib. II. Cap. XLVIII. *Ad patris revolver sententiam: quam quidem ille (Cæneadem esse dicebat.* Et ad famil. Lib. VII. Epist. XIX. *Institui Topica Aristotelea conscribere.* Pro quo etiam *Aristotelica* aliæ editiones exhibent. Libro autem de Orat. III. Cap. XIX. *Vobis hæc Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est.* Atque demum Phædri Fabulæ Æsopiarum, non Æsopæarum nomine inscriptæ sunt.



## FABULA XLIII.

*Rosa & Amarantus.* <sup>1</sup>

QUIS non coloris nostri puniceum decus,  
 Quis non odoris suaves delicias amat,  
 Dixit Amaranto, sibi placens nimium, Rosa?

Amarantus autem: Nil, ait, mihi quidem  
 Contingit horum simile; sed vivo diu.

## FABULA XLIV.

*Canis & Herus.*

DOMUM revertens, tempore hiberno, Canis,  
 Et madidus & lutulentus, ut Dominum videt,  
 Gestitque, profilitque, gaudii impotens,  
 Atque renuentem fordidis amplectitur  
 Pedibus. Is igitur, graviter objurgans: Fuge,  
 Fuge, ait, inepte, cum istis indoctis tuis  
 Blanditiis: urbanum esse te forsan putas:  
 At mihi videris inficeta bestia.

Scripta est amicis fabula imprudentibus,  
 Officia quorum sæpe nocent, nedum juvent.

<sup>1</sup> Benferade, Fab. CXXXI. Æsopus, Fab. CCLXXIX.





## F A B U L A X L V.

*Piscis Volans.*

SUB fidere <sup>2</sup> Cancri magna pars Magni <sup>3</sup> maris  
 Piscibus abundat, qui Volantes nomine  
 Dicuntur. Hoc de genere quidam junior  
 Cùm se extulisset ceteris paulo altiùs:  
 Avis, inquit, ego sum certè; nec diutius  
 Tenebroso in isto gurgite Oceani patris,  
 Animalia inter muta, vivere me decet:  
 Felicis infulcæ est mihi petendum nemus,  
 Ubi canoræ vocibus liquidis aves . . .  
 Reliqua additurus, sentit omni, quo sine  
 Nefas volare est, pinnas destitui suas  
 Humore: patriumque ad solum relabitur.

Permulta in altum ingenia nostri temporis  
 Tolluntur: utinam ad ima mox non recidant!

<sup>2</sup> Virgilius, Ecl. 10. v. 68.

Aethiopum veriemus oves sub fidere Cancri.

<sup>3</sup> Cicero, Somn. Scip. c. 6. Terra . . . circumfusa illo mari, quod  
 Atlanticum, quod Magnum. quem Oceanum appellatis. Plinius,  
 Hist. L. 3. c. 5. Atlanticum (mare) ab aliis Magnum (vocatum.)







# FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER TERTIUS.



## PROLOGUS.



FABELLÆ, ab ipso quas Æsopi nomine  
Nostri priores <sup>1</sup> dixerunt Æsopias <sup>2</sup>,  
Placuere priscis Græciæ doctæ viris,  
Summisque: nec eas, tanquam aniles nœnias,  
Infantibusve pueris vendibiles jocos,  
Contempnit ulla docta gens mortalium.

<sup>1</sup> Plinius Jun. Lib. III. Epist. IV. *Veniebat in mentem, priores no-  
stros, &c.* quo nomine veteres ille Oratores vocat.

<sup>2</sup> Dicitur etiam possunt Æsopæ, ut Phædrus, Lib. V. Prol. V. II. eas  
appellat. Sic & Cicero, Acad. Quæst. Lib. II. Cap. XLVIII. *Ad  
patris revolvat sententiam; quam quidem ille Carneadem esse  
dicebat.* Et ad famil. Lib. VII. Epist. XIX. *Institui Topica Ari-  
stotelea conscribere.* Pro quo etiam *Aristotelica* aliæ editiones ex-  
hibent. Libro autem de Orat. III. Cap. XIX. *Vobis hæc Carne-  
adæ, aut illa Aristotelica vis comprehensenda est.* Atque de-  
nim Phædri Fabulæ Æsopiarum, non Æsopiarum nomine in-  
scriptæ sunt.



Pater Sophorum , magnus ille Socrates  
 Dignas putavit <sup>3</sup> quas poliret verbis ,  
 Suffragioque muniit postquàm suo ,  
 Has esse jam omnibus approbandas quis neget ?

Igitur <sup>4</sup> materiam , quam mihi sumpsi in manus ,  
 Festivitate liberali cùm sciam  
 Pollere ; & esse moribus etiam utilem ;  
 Hanc ego cavere diligenter debui ,  
 Ne culpâ tenuis ingenî corrumperem :  
 Atque his profectò , ceterisque fabulis ,  
 Quascumque fingere experiar Phædri stilo ,  
 Conabor , ullo sed sine labore anxio ,  
 Utî suum adsit non inconveniens <sup>5</sup> decus .

## F A B U L A I.

*Sol & Aquilo.* <sup>6</sup>

SOL quondam & Aquilo , uter foret valentior ,  
 Delitigabant. Demum , iter qui carperet ,  
 Hominem videntes : In eum vires , inquirunt ,  
 Vicissim nostras experiri quid vetat ?  
 Sciscunt <sup>7</sup> , ut , ipsi pallium qui excusserit ,  
 Is jure merito sese victorem ferat.

<sup>3</sup> Plutarchus de audiendis Poëtis non longè ab exordio. Plato in Phædone , & alii.

<sup>4</sup> Vocem *igitur* adhibuerunt initio sententiæ , Plautus , Sallustius , Corn. Nepos , Phædrus , Tacitus , & alii.

<sup>5</sup> Phædrus , Lib. III. Fab. XIII. V. 6.

Non inconveniens corpus , & par est color.

<sup>6</sup> La Fontaine , Lib. VI. Fab. III. Philib. Hegemon , Fab. VI. Camera-rius , Fab. CCCLX. Tanaq. Faber ex Arabico Locmani , Fab. XVIII. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I. pag. 741.

<sup>7</sup> Cicero de Offic. Li. III. Cap. XI. *Athenienses sciverunt , ut Ægi- metis . . . pollices præciderantur.*

Tum primus Aquilo flatibus horrifonis furit:  
 At se viator contra vim venti arctiùs  
 Involvit. Ergo, postquàm profecit nihil  
 Aquilo, calentem Sol emolitur facem,  
 Sensim que radios insinuando per cutem  
 Viatoris agit. Ille mox exæstuat;  
 Mox & gravi humeros pallio sponte exuit.

Vim vi repellunt homines plerumque: ast eos,  
 Quò vult, volentes pertrahit benignitas.

## FABULA II.

*Agricola & Ciconia.*<sup>8</sup>

SATA depascebant læta Grues & Anseres.  
 Laqueum tetendit Agricola; eosque & simul  
 Cepit Ciconiam. Illa verò supplicat;  
 Et se innocentem dicit; & neque Gruem,  
 Neque Anserem esse; sed avium omnium optimam<sup>9</sup>,  
 Ut quæ piè parentes revereri suos,  
 Senioque fractos alere consueverit<sup>10</sup>.

<sup>8</sup> Benferade, Fab. LXXXVII. Æsopus, Fab. CLXXII.

<sup>9</sup> Cælius Rhodiginus Lecton. antiq. Lib. XI. Cap. XVII. *Si quidem, ut auctor Ambrosius est, Ciconia romano usu via vocatur; quòd pulli parentibus jam senio confectis, nec alimenta sibi conquirere satis valentibus, in retributionem mutuam, tacitè quidem, sed olta naturæ vi in id propellente, necessaria summo studio, quod in homine rarum est, suggerunt.*

<sup>10</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. XI. V. 5

Ut insuetà voce terreret feras.

Lib. III. Prol. V. XIV.

Ut adsuètam fortiùs præstes vicem.

Lib. IV. Fab. VII. V. 8.

Omno adsuèvi ferram quæ corrodere.



Etiamque campis operam, ait, navo utilem,  
Angues <sup>1</sup>, lacertas, pestesque id genus, vorans.

Hæc omnia, inquit ille, vera sint licet,  
Quando tamen capta es unà cum nocentibus,  
Quam meruere illi. tu quoque subibis nocem.

Qui focium hominibus flagitiosis se dedit,  
Flagitii pœnas jure dat, vel innocens.

### FABULA III.

#### *Piscator & Pisciculus.* <sup>2</sup>

**P**ISCATOR in aquas cum jecisset hamulum <sup>3</sup>,  
Pisciculum eduxit. Orat ille, & obsecrat,  
Ut sese abire, sic minutulum <sup>4</sup>, finat:  
Crescam, ait, interea; cumque factus grandior  
Fuero, majore tunc me recipies lucro.

Piscator autem: Tu tamen in fartaginem  
Mittêris, inquit: *pretio enim spem non emo.* <sup>5</sup>

<sup>1</sup> Juvenalis Sat. 14. V. 74.

Serpente Ciconia pullos

Nutrit, & inventâ per devia rura Lacertâ.

<sup>2</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. III. Benferade, Fab. CXI. & Fab. CXXXVI.  
Æfopus, Fab. CXXIV. Avienus, Fab. XX.

<sup>3</sup> Plautus Stich. Act. II. Sc. I. V. 17.

Arundinem fert, sportulamque, & hamulum piscatorium.

<sup>4</sup> Plautus Pœnul. Prol. V. 28.

Nutrices pueros infantes minutulos

Domî ut procurent, neu quæ spectatum afferant.

<sup>5</sup> Verba ista sunt Terentii, Adelph. Act. II. Sc. II. V. 11, Quorum quidem sensus est: *Ego bonum præsens pro lucro incerto non pascor.*



## FABULA IV.

*Membra & Venter.* <sup>6</sup>

PRO se olim stantes <sup>7</sup>, proque membris ceteris,  
Ventrem incusârunt fortiter Pes & Manus,  
Quòd otiosus bona voraret omnia:

Demum laboret, vel cibum ne postulet,  
Concludunt. Ille semel, iterumque supplicat  
Nequicquam: contumaces alimentum negant.

Exhaustus ergo longâ Venter deficit  
Inediâ <sup>8</sup>: at pariter Membra deficiunt: suum  
Tunc fungi voluit, at ferò, officium Manus:

Nam factus Venter nimiâ desuetudine  
Debilior, omnem repulit omnino cibum.

Sic Membra denique, malè dum Ventri invident,  
Pereunt eodem, quo perit Venter, modo.

Quos maximè cessare vulgus iudicat,  
Ab his sæpe opera maximè utilis datur.

<sup>6</sup> La Fontaine, Lib. III. Fab. II. Benferade. Fab. XLII. Anonymus à Neveleto editus, Fab. LV. Regnerius, Part. II. Fab. IV. Tanaq. Faber ex arabico Locmani, Fab. XVII. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. II. pag. 752. Quintilianus, Lib. V. c. II. *Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam transitur reducijs nota illâ de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabulâ.*

<sup>7</sup> Verbum *flare* iudicium est: hinc Phædrus, Lib. 3. Fab. 10. v. 37.  
Stant patroni fortiter

Causam tuentes innocentis femine.

<sup>8</sup> Menagius, Fab. 3. male secundam syllabam in voce *inediâ* corripuit, v. 41.

Ne vitam tædio, aut finiat inediâ.

Phædrus, Lib. 2. Fab. 4. v. 23.

Quid multa? Inediâ sunt consumpti cum suis.





## FABULA V.

*Canis & Bos.*<sup>9</sup>

PLENO adjacebat fortè præsepi Canis:  
 Ut carpat escam Bos accedit: Hirriens<sup>1</sup>  
 Vetat hic. At istâ cum tuâ invidentiâ  
 Dî te, Bos inquit, perdant, qui non vesceris  
 Fœno isto, & alios vesci eodem non sinis!

Hæc invidorum abominanda est indoles:  
 Quibus uti nequeunt, neminem his frui volunt.

## FABULA VI.

*Puer & Fortuna.*<sup>2</sup>

ADORAM putei dormiebat Puerulus.  
 Eum Fortuna fuscitans: Abi hinc, ait;  
 In puteum namque si caderes, non hanc tuam  
 Fuisse culpam, sed meam omnes dicerent.

<sup>9</sup> Richer, Lib. VII. Fab. III. Benferade, Fab. LXXIV. Le Noble, Fab. LVI. Barlandus, Edit. Rob. Steph. pag. 145. cujus satis multa verba retinimus. Camerarius, Fab. CCXLI.

<sup>1</sup> Festus: *Hirrire; quod genus vocis est canis rabiosæ.* Hinc Sidenius Apollinaris, Lib. IV. Epist. VII. *Est canibus innatum, ut, etsi non latrant, tamen hirriant.*

<sup>2</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. XI. Benferade, Fab. CLXX. Æsopus, Fab. LVI. Rimicius, Edit. Rob. Steph. pag. 191.





## FABULA VII.

*Camelus & Jupiter.* <sup>3</sup>

CAMELUS olim fortis pertæsus suæ  
 Conquestus est; armari Taurum cornibus;  
 At sese inermem ceteris animalibus  
 Objectum: cornua ergo sibi concederet,  
 Jovem rogavit. Deus at iratus preces  
 Audire ineptas non recûsavit modò,  
 Sed etiam auriculas decurtavit bestixæ.

Fortunâ vivat quisque contentus suâ,

## FABULA VIII.

*Lupus & Hœdus.* <sup>4</sup>

CAPRA pastum itura stabulo Hœdum concluderat,  
 Aperire <sup>5</sup> nemini <sup>6</sup>, ipsa dum redeat, monens.  
 Quod cùm audiisset, post paulò accedit Lupus:  
 Pulsat, caprinamque imitatus vocem, jubet  
 Fores recludi. At Hœdus sentiens dolos:  
 Non aperiam, inquit; ad me vox meat quidem  
 Caprina; sed per rimulas video Lupum.

Diffidere si quos, maximè tenues, <sup>7</sup> decet.

<sup>3</sup> Benferade, Fab. C. Æsopus, Fab. CC. Avienus, Fab. VIII.

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. XV. Benferade, Fab. XXVII. Anonymus, à Neveleto editus, Fab. XXIX. Hermannus, Edit. Rob. Steph. pag. 122. cujus verba nonnulla retinimus. Burmannus append. ad Phæd. Fab. XXXII.

<sup>5</sup> Cicero, de Inv. Rhet. C. 22. *Quæ (pietas) officium conservare nec homoneat.*

<sup>6</sup> Id est nulli. Cicero, de Nat. Deor. L. I. C. 43. *Neminem Deo nec Deum, minem carum vultis.* Virgilius, Aen. L. 9. V. 6. *Divûm promittere nemo*

Auderet.

<sup>7</sup> Cicero, in Verr. Lib. I. C. 47. *Quemadmodûm tenuissimum*



## FABULA IX.

*Oves & Lupi.*<sup>8</sup>

Oves Luposque, pace factâ junxerat  
 Solemne fœdus, utrinque obsidibus datis.  
 Oves dedere vim canum, catulos Lupi.  
 Sed illæ cùm vix inceperant simplices  
 Liberiùs agere, & pace properarent frui;  
 Catuli ecce, matrum desiderio perciti,  
 Ululatus edunt. Audiunt Lupi; irruunt;  
 Fidemque læsam criminantur, ac Oves  
 Laniant, heu! destitutas præsidio canum.  
 Pax fraudulenta bello ipso damnosior.

## FABULA X.

*Vulpis & Caper.*<sup>9</sup>

INPUTEUM Vulpis, & Caper descenderant  
 Sitim ut levarent. Cùm bibissent, & Caper  
 Respicere circùm inciperet, de reditu anxius:  
 Bono animo es, inquit Vulpis; hinc enim priùs

*quemque contempserit.* Orat. pro Murænâ, c. 23. *Commoti ani-  
 mi sunt tenuiorum*

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. III. Fab. XIII. Benferade, Fab. XXXVIII. Æsopus, Fab. CCXLI. Aphantius, Fab. XXI. Hermannus, Edit. Rob. Steph. pag. 137. cujus verba non pauca retinimus. Camerarius, Fab. CCXVIII. Burmannus, append. ad Phædr. Fab. XXI. Jaius, Tom. II. pag. 745.

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. III. Fab. V. Benferade, Fab. LI. Æsopus, Fab. IV. Phædrus, Lib. IV. Fab. VIII. At paulè aliter, paulòque jejuniùs, quàm Æsopus. aut quisquis ille est, qui sub ejus nomine latitat; cujus quidem singulis fere vestigiis insiliendum esse credimus. Vid. not. ad Fab. XLII. Lib. II.



Reputavi mecum, quî possimus egredi.  
 Namque ad parietem admoveris si te modò,  
 Erexisque posteriores in pedes,  
 Mentoque ad pectus adducto ista cornua  
 Reclinàris, ego per tergum erepens tuum  
 Evadam facilè, teque educam posteà.  
 Cautum <sup>1</sup>, mehercle, consilium, admirans ait  
 Barbatus! & facit omnia, ut monitus fuit.  
 Ergo illa remcat: quæ quidem dum gaudio  
 Elata gestit putei in ipso margine,  
 Nec curat, socio quid futurum sit suo;  
 Dolosa, perfida nominatur <sup>2</sup>: at refert:  
 Age tamen, Hirce; si quantùm <sup>3</sup> in mento geris  
 Setarum, in mente tantùm esset sensûs tibi,  
 An priùs, amabo, puteum in hunc descenderes,  
 Quàm provideres, an remeandi sit via?  
 Vetamur hoc exemplo quidpiam aggredi,  
 Nihil ubi spondet exitum facilem fore.

## FABULA XI.

*Mulier & Gallina.* <sup>4</sup>

GALLINAM habebat Mulier, quæ quotidie  
 Pariebat ovum: bina sed, pro singulis,  
 Ova parituram, plus dapis si apponeret,

<sup>1</sup> Cicero, in Anton. Orat. 13. cap. 3. *Quid sapientia? cautioribus  
 ubitur consiliis, in posterum providet.*

<sup>2</sup> Cicero, Orat. pro Planc. Cap. 36. *Perditor Reipublicæ nominaretur,  
 qui servator fuisset.*

<sup>3</sup> Plautus, Mil. glor. act. 2. Sc. 6. v. 13. *Quantum verborum.* Tacitus,  
 Hist. L. 4 C. 33. *Quantum vedilum erat.*

<sup>4</sup> Benferrade, Fab. CCXIII. Æsopus, Fab. XXIV. Laur. Vallæ, Edit.



Existimans, curare cœpit largiùs.  
 Gallina fed mox facta cùm esset pinguior,  
 Ovum jam parere ne potuit unum quidem.  
 Tardat, hebetatque luxus hominum industriam.

## F A B U L A XII.

*Cancer & Vulpis.* <sup>5</sup>

MARE Cancer olim deseruit, in litore  
 Pascendi cupidus. Vulpis hunc simul aspicit  
 Jejuna, simul accurrit; & prædam capit.  
 Næ, dixit ille, jure plector, qui, falso  
 Cùm fuerim natus, voluerim solo ingredi!  
 Suus unicuique præfinitus est locus,  
 Quem præterire sine periclo non licet.

## F A B U L A XIII.

*Musicus.* <sup>6</sup>

BENE incrustatam calce Musicus domum,  
 Rudis canendi, habebat: in quâ dum canit,  
 Sibi resonantem pleniùs vocem putat  
 Valdè canoram. Factus hinc superbior:  
 In publico, inquit, me theatro protinus  
 Audiri oportet. At experiendi gratiâ

Rob. Steph. pag. 57. cujus verba nonnulla retinuimus. Tanaq.

Faber ex arabico Locmani, Fab. XII.

<sup>5</sup> Æsopus, Fab. XCV.

<sup>6</sup> Æsopus, Fab. XCVI.

Illuc profectus, tristem, & exilem sonum  
 Cum distribueret tertios vix ad gradus <sup>7</sup>,  
 Exsibilatur <sup>8</sup> protinus, & exploditur.

Scholarum in umbrâ qui latens placuit sibi,  
 Placuisse stulto clara lux sæpe hunc probat.

## F A B U L A X I V.

*Asinus & Canis* <sup>9</sup>

QUID, inquit Asinus invidens & ingemens?

Quia Canis iste se satis bellè movet,

Tollitque, datque non inurbanè pedem,

Herilis unus furripiet omnem domûs

Benignitatem? blanditiis & osculis

Fruetur unus? At ego, cui nullam parens

Natura dotem amabilem, meâ quidem

Sententiâ, negavit, negligor interim:

Etiamque duris sæpius vexor modis.

Quid noster autem bellus efficit Canis

Tantum, quod Asinus ego quoque ipse, dummodo

Adsit voluntas, facilè non possim assequi?

Festivus est: & festivi esse possumus,

Et esse volumus, & erimus: suâ placet

Festivitate: nostrâ & nos placebimus.

Dixit; statimque rem peroptat aggredi:

7 Vitruvius, L. 5. C. 6. Gradus *spectaculorum*, ubi *subsellia componantur*. C. 7. *Orchestra inter gradus imos*.

8 Cicero Paradoxo 3. Cap. 2. *Histrion si paulum se moverit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllabâ brevior, aut longior, exsibilatur & exploditur*.

9 La Fontaine, L. 4. Fab. 5. Benferade, Fab. 15. Hermannus, Edit. R. Steph. p. 116. Burmannus, append. ad Phædrum, Fab. 10. Jaius, to. 2. pag. 747.

Herumque fortè, qui referret se domum,  
 Videns, repentè currit obviàm: exsilit;  
 Gestit; tripudiat: ore dein enormiter  
 Diducto horribilem cantilenam provomit<sup>1</sup>:  
 Amplexu denique immani attonitum petit,  
 Fœdisque demulcere tentat unguis.  
 At ille baculo, quod gerebat, naviter  
 Commitigavit<sup>2</sup> os rudentis & caput,  
 Stolidamque longè propulsavit bestiam.  
 Torquenda<sup>3</sup> non sunt ingenia: noster labor,  
 Natura cùm obstat, officit, nedum juvet.

## FABULA XV.

*Bos & Vitula.*<sup>4</sup>

ARANTEM Vitula pinguis aspiciens Bovem,  
 Eum contempnit præ se, quæ nihil ageret.  
 Sed sacrificii mox ut advênit dies,  
 Bovem reservat Rusticus, Vitulam immolat.  
 Quod cùm videret: Heus, amica, Bos ait,  
 Laboravisse nunquam quid te nunc juvat?

<sup>1</sup> Lucretius, L. 6, v. 446.

Turbinis immanem vim provomit atque procellæ.

<sup>2</sup> Terentius, Eun. Att. 5. Sc. 8. v. 4.

Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput!

<sup>3</sup> Phædrus, L. 3. Fab. 14. v. 7.

Ille se torquet diu;

Nec quæstionis positæ causam intelligit.

Lib. 4. Fab. 19. v. 21.

Quid mente cæcâ miserum torques spiritum?

Cicero, Ora. pro Cœlio, cap. 6. *Vertere suam naturam, atque hinc  
 & illuc torquere.*

<sup>4</sup> Benévade, Fab. CLXII. Furetiere, Fab. XII. Æsopus, Fab.  
 CLXXVII. Avienus, Fab. XXXVI. Commirius, Tom. I. pag. 319.  
 Edit. 1714.



## FABULA XVI.

*Leo Filiam Rustici amans.* <sup>5</sup>

LEO cujusdam Rustici amabat Filiam;  
 Cùmque illam habere cuperet; patrem virginis  
 Rogavit, assentiret nubere hanc sibi.  
 Ullo se pacto, ut Filia nubat bestixæ,  
 Adduci posse Rusticus negat: tamen,  
 Cùm torvè aspiceret, frenderetque dentibus  
 Leo minanti similis, ille exterritus  
 Mutat consilium; Filiamque huic nubere  
 Se velle dicit; modò sibi dentes finat  
 Revelli & ungues, qui terrerent virginem.  
 Quod postquam, amore cœcus, permisit Leo,  
 Sibi ergo demum Filiam dari expetit:  
 Sed illum inermem Rusticus jam non timens,  
 Arrepto fuste, pulsat, & abigit domo.

Amor, improbus amor ubi semel prudentiam  
 Extinxit, ipsam fortitudinem domat.

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. I. Benferade, Fab. CC. Æsopus, Fab. CCXXV.





## FABULA XVII.

*Culex, Leo & Aranea.*<sup>6</sup>

NEQUE ego te timeo, neque me fortior es, ait  
 Culex Leoni. Tūne terrorem mihi  
 Incutere credis, quòd didiceris unguibus  
 Lacerare pecudes, dentibusque frangere?  
 Age verò ad pugnam nunc veniamus, si lubet.  
 Dixit; simulque cecinit animosus tubâ;  
 Simulque inhæsit naribus adversarii,  
 Cutemque teneram pupugit pertinaciter.  
 Leo furiosus unguibus proprios sibi  
 Dilaniat artus, donec exanimis cadit.  
 Suum superbus victor tunc epinicion,  
 Idem ipse tubicen, personans, hinc avolat.  
 At mox tenuibus heu! filis Aranæ  
 Implicitus, vitam gloriosam finiit,  
 Lamentans, hostem quòd qui tantum vicerat,  
 Nunc ab animante occideretur tantulâ.

<sup>6</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. IX. Benferade, Fab. CV. Æsopus, Fab. CXLIX.





## FABULA XVIII.

*Columbæ & Accipiter.* <sup>7</sup>

BELLO Columbæ cùm domare Miluum  
 Deliberâssent, eligunt regem sibi  
 Accipitrem. At hostem se ille, non regem probat;  
 Etiamque miseras Miluo ferociùs  
 Rapit, laniatque. Tum suam dolent vicem;  
 Satiusque, dicunt, Milui impetum fuit  
 Tolerare, quàm hujus regiam tyrannidem.

## FABULA XIX.

*Simia & Vulpis.* <sup>8</sup>

VULPEM rogavit Simia <sup>9</sup>, ut concederet  
 Caudæ partem aliquam, contegendas ad nates;  
 Etenim, quod ufui & honori foret sibi,  
 Huic esse id oneri. Vulpis at retulit, nihil  
 Sibi nimium esse, & caudâ humum verri suâ  
 Se malle, quàm illâ Simiæ nates tegi.

Significat hæc fabella, rarò quidpiam  
 Superfluum esse diviti, ut egenum juvet.

<sup>7</sup> Anonymus à Neveleto editus, Fab. XXII. Camerarius, Fab. CCII.  
<sup>8</sup> Richer, Lib. X. Fab. XVI. Benferade, Fab. XLIII. Le Noble, Fab.  
 CXXV. Anonymus à Neveleto editus, Fab. LVI. Hermannus,  
 Edit. Rob. Steph. pag. 131. cujus verba pleræque retinimus. Re-  
 gnerius, part. 2. Fab. V. Burmannus append. ad Phædr. Fab.  
 XXII.

<sup>9</sup> Isterus origin. Lib. XII. Cap. 2. *Harum (Simiarum) genera  
 quinque sunt: ex quibus Cercopitheci caudas habent.*



## FABULA XX.

*Auceps, -Palumbus, & Serpens.*<sup>1</sup>

DOLUM Palumbo incautus Auceps dum fruit,  
Premit anguem, cujus dente violatus perit.  
Malum jure feres, quod parabis alteri.

## FABULA XXI.

*Asellus ejusque Herus.*<sup>2</sup>

IN silvam Asellus cùm venisset, reperit  
Cæsi leonis exuvias: has induit:  
Ad pascua dehinc, sic personatus, redit:  
Greges, armenta territat, fugat: videt  
Herum venientem; pariter & in ipsum ruit.  
Sed apprehensis ejus auriculis Herus:  
His fortè, dixit, artibus alios licet  
Decipias; at ego protinus indolem tuam  
Asininam agnosco, quemlibet cultum induas.

Martialis, Lib. XIV. Epigr. 202.

Callidus emissas eludere Simius hastas,

Si mihi cauda foret, Cercopithecus eram.

<sup>1</sup> Benferade, Fab. CXLVIII. Æsopos, Fab. XXXVII.

<sup>2</sup> Benferade, Fab. LCVII. Le Noble, Fab. LXXIII, Avienus, Fab. V.  
Barlandus, Edit. Rob. Steph. pag. 156. cujus verba nonnulla retinimus. Camerarius, Fab. CLV.







## FABULA XXII.

*Taurus & Caper* <sup>3</sup>

**T**AURUS leonem dum fugit, aliquod sibi  
 Latibulum quærens, injicit se in obvium  
 Caprile: at obstat cornibus adversis Caper.  
 Nunc me, inquit ille, impunè contemnis quidem;  
 Verùm si abierit, quem fugio; tunc senties,  
 A Tauri quantùm viribus distet Caper.  
 Etenim caprile cùm prætergressus leo,  
 Procul abiisset; omni sublato metu,  
 In Caprum Taurus irruit, & eum necat.

Potentes, vel cùm, ne noceant, tempus vetat,  
 Esse reverendos, hæc probat narratio.

## FABULA XXIII.

*Corvus & Urna.* <sup>4</sup>

**I**NVÊNIT Urnam aquariam Corvus *siti*  
 Enectus <sup>5</sup>: at aqua <sup>6</sup> brevior, Urnaque altior,  
 Ne bibere possit, obstant: ipsam nititur  
 Effundere Urnam; nec valet: tum denique

<sup>3</sup> Benferade, Fab. CIV. Æsopus, Fab. CCLXXXI. Gabrias, Fab. XL.  
 Avienus, Fab. XIII.

<sup>4</sup> Richer, Lib. XI. Fab. XIII. Benferade, Fab. CXV. le Noble, Fab.  
 CLXXII. Avienus, Fab. XXVII. Camerarius, Fab. CCLV. Porro  
 hanc historiam Plinius, Hist. Lib. X. Cap. XLIII. de Corvo narrat;  
 non de Cornice, ut Avienus, & alii plerique scriptores.

<sup>5</sup> Cicero Tuscul. Lib. I. Cap. V. *Mento summam aquam attingens.*  
*enectus siti Tantalus.* Idem de Divinat. Lib. II. Cap. XXXV.  
*Fame eneeta (avis) si in offam pultis invadit.*

<sup>6</sup> Virgilius Æneid. Lib. I. V. II4.

Eurus ab alto

In brevia & fyrtes urget.

Injicit assumptos ex arenâ calculos.  
 Attollitur aqua: Corvus hoc pacto bibit,  
 Acuere solet industriam necessitas.

## FABULA XXIV.

*Venator & Leo. ?*

CUM Venatore litigans, generis sui  
 Vires Leo præferebat hominum viribus.  
 Sic litigantem ducit Adversarium  
 Venator ad monumentum, ubi sculptus leo  
 Peribat inter victrices hominis manus.  
 Sed hoc sibi Ferus satis esse indicium negat:  
 Homines id etenim sculpunt, inquit, quod volunt;  
 At si leones sculpendi artifices forent,  
 Suaeque gentis gloriosa extollere  
 Facinora vellent, victos à leonibus  
 Et interemtos quot homines effingerent?

Brevia autem à brevibus aquis sic appellata sunt. Idem, L. 5. v. 220.  
 Et primum in scopulo luctantem deserit alto  
 Sergestum, brevibusque vadis.

Alio sensu, spectans nempe ad angustias freti, dixit Ovidius, Heroid.  
 Epist. 18. v. 173.

Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?  
 Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?

? La Fontaine, Lib. III. Fab. X. Benserade, Fab. LIX. Æsopus, Fab.  
 CCXXIII. Aplitonius, Fab. XXXIV. Avienus, Fab. XXIV. Tanaq.  
 Faber ex arabico Loemani, Fab. VII. Burmannus append. ad Phædr.  
 Fab. XXV.



## FABULA XXV.

*Corvus & Serpens.*<sup>8</sup>

SERPENTEM Corvus esuriens cùm cerneret  
 In sole<sup>9</sup> dormientem; protinus hunc petit,  
 Rapique. At ille mox ubi ad fese redit,  
 Corvum remordet; qui letale sentiens  
 Venis receptum virus: Hinc pereo miser,  
 Stultusque, dixit, unde speravi lucrum<sup>1</sup>.

Designat<sup>2</sup> homines fabula incautos, quibus  
 Avidè expetita sæpius damnum afferunt.

## FABULA XXVI.

*Rustici & Sarmenta.*<sup>3</sup>

Duo cùm quondam Rustici ad litus maris  
 Sederent otiosi: Navem conspicer,  
 Unus ait, eamque permagnam meherculè.  
 Post paulò dixit alter: Ego verò id nego,

<sup>8</sup> Le Noble, Fab. CIII. Æsopus, Fab. C. Faernus, Fab. XXIV.

<sup>9</sup> In sole ambulare: in sole apricari: in sole jacere: in sole exuri: à sole abesse, vel discedere: bonæ locutiones latine sunt. Vide Cicer. de Orat. Lib. II. Cap. XIV. ad Attic. Lib. VII. Epist. XI. Tusc. an. Lib. V. Cap. XXXII. Cels. de re med. Lib. I. Cap. III. Plin. juv. Lib. III. Epist. V.

<sup>1</sup> Terentius, Heautont. act. 4. Sc. 4. v. 25.

Næ, ille haud scit, paulùm lucri quantum ei damni apporter.

<sup>2</sup> Cicero, de Harusp. resp. c. 25. *Not quidem verbo neque P. Clodius, neque quisquam de gregalibus ejus aut de consiliariis designatur.*

Ovidius, Metam. L. 6. v. 103.

Mæonis eluam delignat imagine tauri

Europen.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. X. Æsopus, Fab. CX.

Sarmenta autem ista longinqua non ex ipsâ, quæ immittitur in oculos specie, sed ex ipsâ imaginandi vi hîc æstimari censenda sunt. Malè ergo Richerius fabular. præfat. pag. 14. non esse narrationem hanc verisimilem pronuntiavit.

Hanc esse navem; at esse contendo scapham.  
Expectant; demum Sarmenta appelli vident.

Magnam ex longinquo qui reverentiam parit,  
Si propius adstet sæpe erit contemptui.

## FABULA XXVII.

*Avis, ejusque Pulli, & Villicus.*<sup>4</sup>

**M**ONUIT locatos in segete<sup>5</sup> Pullos Avis,  
Ut diligenter, hinc dum abest, attenderent,  
De messe sermo si fieret. Pulli anxii  
Redeunti narrant matri, amicis Villicum  
Suis mandasse curandum id negotii.  
Respondet mater, esse nil Periculi.  
Item trementes nuntiant alio die,  
Propinquos, operam ne recusarent suam,  
Rogatos. Rursus esse securos jubet.  
At illa demum ut audiit, cum filio  
Statuisse Villicum, ut ipsi mane postero  
Inciperent ambo triticum succidere:

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. XXII. A. Gellius, Lib. II. Cap. XXIX. Avienus, Fab. XXI. Faernus, Fab. XCVI. Menagius, Fab. I.

<sup>5</sup> Varro, de re rust. L. I. c. 29. *Seges dicitur, quod aratum, satum est: arvum, quod aratum, necdum satum est.* Festus, de verbor. signif. *Seges dicitur ea pars agri, quæ arata & confita est.* Cicero, de Senect. c. 15. *Nec verò segetibus solùm, & pratis, & vineis, & arbutis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis & pomariis.* Orat. c. 15. *Segetes fecundæ & uberes non solùm fruges, verùm herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus.* Tulciul. L. 2. c. 5. Etli segetem sunt in deteriorem datæ  
Fruges, tamen ipsæ suapte naturâ enitent.

Fugiamus, inquit: hi cùm jam non pendeant  
Alienà ex operâ, conferent citò hùc suam.

Rem gerere ipse potes? alios ne expectaveris. <sup>6</sup>

## FABULA XXVIII.

*Crocodilus & Vulpis.* <sup>7</sup>

DE nobilitate gloriabatur suâ,  
Pluresquè Vulpi instabat commemorans avos  
Crocodilus, unde rectâ venisset viâ.  
At Vulpis: Unde venerim, inquit, me minùs  
Id angit, quàm quò vadere liceat mihi.

## FABULA XXIX.

*Ursus, Leo, & Lupus* <sup>8</sup>

CORREPTUM, jamque strangulatum, mandere  
Parabat Ursus hinnuleum famelicus.  
Leo, ficcis pariter faucibus, supervenit,  
Et extorquere prædam violentus parat.  
Ursus, qui multis antea leonibus  
Restiterat, avida nunc ubi stimulat fames,  
Sese videlicet ait nolle cedere.

6. A. Gellius, Lib. II. Cap. XXIX. *Hunc Æsopi apologum Q. Ennius in Satyris scitè admodùm & venustè versibus quadratis (trochaicis) composuit: quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi & memoriæ operæ pretium esse hercle puto:*

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:  
Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.

7 Benferade, Fab. CXXXIX. Æsopus, Fab. IX.

8 Benferade, Fab. CXLIII. Le Noble, Fab. CXI. Camerarius, Fab. XXXIX.

Exoritur ergo pugna utrinque pertinax,  
 Et horrida: neuter vincit; neuter se imparem  
 Sentit; pugnantque, dum defecti <sup>9</sup> viribus,  
 Et hinc & inde simul in terram corruant.  
 Cùm sic jacerent languidi, accedit Lupus,  
 Causamque tollit hinnuleum certaminis:  
 Quem sic impunè sibi videntes abripi,  
 Dixère: Miseri strenuè pugnavimus,  
 Ut latro pugnae ferret omne præmium!

## F A B U L A X X X.

*Asinus Dominos mutans.* <sup>1</sup>

**A**PUD olitorem quòd ageret vitam nimis  
 Laboriosam, & interim tenuissimo  
 Pastu soleret recreari, Asinus querens,  
 Jovem rogavit, ut aliam sortem daret:  
 Ejusque precibus exoratus Jupiter  
 Navare deinceps hunc figulo operam jubet.  
 Sed ferre cœnum, ac tegulas <sup>2</sup> dum cogitur:  
 Hanc graviùs etiam ferre fortunam incipit.  
 Mutare dominum, imprudens, rursus expetit,

<sup>9</sup> Tibullus, Lib. II. Eleg. V. V. 76.

Ipsam etiam solem defectum lumine vidit.

Phædrus, Lib. V. Fab. VI.

Accessit alter aequè defectus pilis.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. XI. Penferade, Fab. CXLIV. Æsopus,  
 Fab. XLV. Faernus, Fab. LXIX. Jans Biblioth. Rhet. Tom. I.  
 pag. 751.

<sup>2</sup> Em. Card. de Polignac, Antilucetii L. 7. v. 473. primam hujus vocis  
 syllabam corripuit:

Et trabibus, regulisque supra fit pensile tectum.

At Ovidius, fast. L. 6. v. 316.

Strataque erat tepido tegula quassa solo.

Rurfusque auditur : lege fed poſitâ tamen ,  
 Ut hæc quæcumque fuerit ultima fors , ſerat ;  
 Nec ſperet aliam deinde venturam vicem .  
 Is cùm annuiſſet , obtigit <sup>3</sup> coriario :  
 Tum : Quid rogavi , dixit lamentans ? heros  
 Apud priores vivere fatius fuit ;  
 Namque ille poſtquàm durus me laboribus  
 Necuerit , parceret ne corio quidem meo .  
 Quamvis acerba fors erit , eam fuſtine ,  
 Ne pejor fiat , obtreâtare ſi velis .

## FABULA XXXI.

*Aper & Cerva.* <sup>4</sup>

Saxo exacuebat <sup>5</sup> dentium ſicas Aper :  
 Quem conſpicata Cerva : Cur , inquit , facis  
 Id quod , ut opinor , nunc fieri nil poſtulat ?  
 Nam nullus hoſtis , aſpice , occurrit tibi ,  
 Et cunâta pacis undique munus obtinent .  
 At Setiger : Non temere facio , quod vides ;  
 Etenim pugnandi cùm mihi tempus venerit ,  
 An tunc fore putas dentes acuendi locum ?  
 Serò parantur arma , cùm hoſtis ingruit .

Et Juvenalis , Sat. 3. v. 201.

Ultimus ardebit , quem tegula ſola tuetur .

Et Plautus , Mil. glor. act. 2. Sc. 6. v. 24.

Meas confregiſti imbrices & tegulas .

<sup>3</sup> Corn. Nepos , l. 24. C. 1. *Quæſtor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano , Conſuli .*

<sup>4</sup> Richer , Lib. VI. Fab. XVIII. Benferade , Fab. CLVIII. Le Noble , Fab. CXXX. Æſopus , Fab. LIV. Faernus , Fab. LXXVIII.

<sup>5</sup> Plinius hiſt. Lib. XVIII. Cap. 1. *Cùm arbore exacuant , limentque cornua Elephantî & Uri : Saxo Rhinocerotès , & utroque Apri dentium ſicas ,*



## F A B U L A X X X I I.

*Asinus & Equus.* <sup>6</sup>

**E** Quo invidabat Asinus , quòd , totos licèt  
 Malè otiosus ille cessaret dies ,  
 Tamen aleretur delicatè & largiter ;  
 Laboribus ipsi dum perpetuis interim  
 Exercitato , vilis alimenti datur  
 Vix fatis ; & ut ne vita miserum deserat.  
 Sed ad pericla belli postmodùm videns  
 Equum apparari , jam suam sortem incipit  
 Diligere : et : Asinum vivere , inquit , me juvat ,  
 Eorum , qui beati creduntur , mala  
 Videre , miseris non leve est solatium .

## F A B U L A X X X I I I.

*Æthiops.* <sup>7</sup>

**A**LIQUIS loquacem dum sibi esse feminam  
 Queritur maritus , & modum celerrimæ  
 Apponere linguæ mille tentat artibus ,  
 Operamque perdit ; sic Æsopus incipit  
 Narrare : Servulum Æthiopem quidam emerat ;  
 Cujus nigrum colorem contractum putans  
 Fuisse propter solam negligentiam

<sup>6</sup> Benferade , Fab. *CLXV.* Æsopus , Fab. *LI'III.* Faernus , Fab. *LXXXIV.*

<sup>7</sup> Benferade , Fab. *CLI.* Le Noble , Fab. *III.* Æsopus , Fab. *LXXV.*  
 Locmannus , Fab. *XVII.*



Domini prioris, usque, & usque hunc inficit  
 Lavare, donec immodica vexatio  
 Languere miserum, ac denique cœgit mori.  
 Corrigere qui vult naturam, Æthiopem lavat.

## FABULA XXXIV.

*Muscae* <sup>8</sup>

**E**FFUSA mellis copia est: Muscæ advolant:  
 Pascuntur. At mox impeditis cruribus  
 Revolare nequeunt. Heu! miseram, inquit, vicem!  
 Cibus iste blandus qui pellexit suaviter,  
 Nunc fraudulentus quàm crudeliter necat!  
 Perfida voluptas fabulâ hâc depingitur.

## FABULA XXXV.

*Vespertilio & Mustelæ duæ* <sup>9</sup>

**H**Uc, illuc temere dum volat, casu evenit  
 Ut in Mustelæ nidum Vespertilio <sup>1</sup>  
 Irruat, in ipsoque capiatur impetu.  
 Hæc autem, acerbo quoniam erant omnes sibi

<sup>8</sup> Æsopus, Fab. LXXXIX.<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. V. Æsopus, Fab. CIX. Faernus, Fab. LXXVII.<sup>1</sup> Varro, Sat. Menipp. Agathonis, fragm.Quid multa? Factus Vespertilio sum; neque  
 In muribus, neque planè sum in volucris.

Auctor Philomelæ,

Strix nocturna sonans, &amp; vespertilio stridens.

Odio volantes: Sic mei, inquit, ceteri  
 Tractentur hostes & pereant, ut tu modò  
 Peribis! prædamque simul vexat unguibus,  
 Ac devorare jam parat. Periculum  
 Perfentit ille; seque murem, non avem  
 Testatur esse: denique ut fecit fidem,  
 Veniam <sup>2</sup> precatur avolandi, & impetrat.  
 Sed inde ( tanta est ejus imprudentia! )  
 In aliam rursus, nec multò post, incidit  
 Mustelam, cunâ muribus quæ maximè  
 Æstet inimica: & hæc: Quod est odium mihi  
 Gentem in murinam <sup>3</sup>, morte protinus tuâ  
 Solaberis, ait. At quis error te malus,  
 Respondet ille, decipit? cave, obsecro,  
 Ne facias id quod postea infectum, foror,  
 Volueris frustra: non ego sum, quem tu putas,  
 Aliquis de gente murium infestissimâ:  
 Malè mures pereant; vivat avium gens: avis  
 Ego sum; quod alis, aspice, en meis tibi  
 Probare possum. Mustelæ hæc oratio <sup>4</sup>  
 Hæc visa est. Ergo præsentissimam  
 Evasit iterum Vespertilio necem.

Hominum fragilitas ingenium versatile <sup>5</sup>,  
 Variumque, variis pro periculis, expetit.

<sup>2</sup> Plinius, Hist. L. 12. c. 10. de Cinnamomi fructu: *XIIII bonum, caprarumque, & arietum ex his impetrata: venia cadendi.* Tacitus, Annal. L. 12. C. 5. *Summam Reip. agi obestans, veniam dicendi ante alios extorcit.*

<sup>3</sup> Columella. L. 6. c. 37. *Murinus (color) in asino vulgaris.* Plinius, hist. Lib. 28. c. 11. *Aliqui murinorum caput cinerem micantiæ malunt.* L. 30. c. 8. *Murino simo contra calculos illinere ventrem prodest.*

<sup>4</sup> Terentius Andr. Act. I. Sc. I. V. 114. *Hæc oratio est.*

<sup>5</sup> T. Livius, L. 39. C. 40. de M. Porcio Catone: *Huius ingenium ver-*

## FABULA XXXVI.

*Hœdus & Lupus.* <sup>6</sup>

CAPRILIS <sup>7</sup> ipso tutus in fastigio  
 Cùm staret Hœdus, prætereuntem prospicit  
 Lupum; simulque grandibus conviciis  
 Laceßere illum cœpit. Respondet Lupus:  
 Non tu, sed iste nunc locus illudit mihi.  
 Audacia nulla, nullum ubi periculum est.

## FABULA XXXVII.

*Tubicen & Hostes.* <sup>8</sup>

DELA PSUS in victrices Hostium manus  
 Tubicen rogabat, innocentem se virum  
 Ut ne, quod facere jam parabant, cæderent:  
 Et hominem, aiebat, neminem <sup>9</sup> usquam gentium;  
 Occîdi; & istâ, quam libens tradam, tubâ  
 Elicere tantùm innoxios didici sonos.

*fatile sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret.*

<sup>6</sup> Richer, Lib. XII. Fab. IV. Benferade, Fab. LVIII. Le Noble, Fab. CLXXXII. Æsopus, Fab. CXXXIX.

<sup>7</sup> Ut ovili ovilla pecora, bubili bubula, equili equina, ita caprili caprina concluduntur. Varro, de re rust. L. 2. C. 3. *Caprile uliginosum.*

<sup>8</sup> Benferade, Fab. CLXI. De la Motte, Lib. II. Fab. XVIII. Æsopus, Fab. CXLII. Avienus, Fab. XXXIX. Laur. Vallæ, Edit. Rob. Steph. pag. 59.

<sup>9</sup> Perizonius ad Sanctii Minervam, L. I. Cap. I. pag. 7. Edit. 1702. *Quando, inquit, Comici dicunt: Nemo homo: & ratione illud certè est alienum: si quidem in τὸ nemo jam expressum est τὸ homo.* At non soli Comici hanc loquendi formulam à ratione, si superis placet, alienam adhibuerunt. Nam Cicero ad famul. Lib. XIII. Epist. LV. *Ut hominem neminem plus faciam.* Tuscul. Lib. I. Cap. XLI. *Hominem quidem scire arbitror neminem.* De

At illi: Meritæ tu tamen occumbes neci,  
Hôcque magis etiam, quòd pugnandi sis licèt  
Ipse imperitus, alios ad pugnam excitas.

Jure reputatur is qui impellit ad malum  
Nocentior illo, qui malum inde perpetrat.

## F A B U L A XXXVIII.

### *Accipiter & Cuculus.*<sup>1</sup>

M A G N U M Cuculo fecerat convicium  
Accipiter, ipsi quòd pares quanquam dedit  
Natura vires corporis, animo tamen  
Abjectus humili, vesci malit vermibus,  
Quàm dulci aviculas<sup>2</sup> pro cibatu<sup>3</sup> carpere,  
Paucis diebus postmodò elapsis videt  
Cuculus ipsum, quem necârat rusticus,  
Pendere summo turris è fastigio,  
Ut alios pœnæ terreat similis metu  
Accipitres, ne columbas prædari velint:

Nat. Deor. Lib. II. Cap. XXXVIII. *Ut per biduum nemo hominem homo agnosceret.* Ibid. Lib. I. Cap. XLIII. *Neminem Deo, nec Deum, nec hominem carum . . . vultis.*

<sup>1</sup> Abstemius, Fab. VII. Camerarius, Fab. CCXCII.

<sup>2</sup> A. Gellius, Lib. 2. c. 29. *Avicula est parva.* Muretus, Var. Lect. L. 5. c. 1. *Ed accedere innumerabilem nãm ac copiam immortalium avicularum, quæ usque & usque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, inanimos audientium sensus incredibili voluptate permulceant.* Varro, de L. Lat. L. 7. sub fin. *Minima in quibusdam non sunt, ut avis, avicula, aricella: Caput capitulum, capitellum.* Sensus est Varronis, non dici latine neque *avicellum*, neque *capitellum*, quamvis & *aviculam* & *capitulum* dicamus.

<sup>3</sup> Plinius hist. Lib. VIII. Cap. LV. *In Alpbibus candidi (lepores) quibus hibernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse.*

Tibique, vesci vermibus solis, ait,  
Si maluisses, quantò nunc meliùs foret!

Conditio tenuis paucis est periculis  
Objecta, magnis ampla casibus patet <sup>4</sup>

## FABULA XXXIX.

*Capones duo.* <sup>5</sup>

SIMUL Capones nutriebantur duo  
In ornithone <sup>6</sup> inclusi; at horridus, & macer  
Languibat unus; pinguis alter, & nitens  
Suam jactabat speciem, & corpulentiam,  
Sociumque præ se contemnebat: & probris  
Amarulentis non leves injurias  
Super etiam addit; innocentemque opprimit.  
Interea herilem amicus advenit domum;  
Ac delicatas ipsi cum dapies herus  
Apponere vellet, pinguem Caponem necat,  
Macrum relinquit; socium qui suum videns  
Cum perimeretur: Nunc ego, inquit, ego miser  
Te miseriorem video tandem, qui modò  
Beatus, arrogansque insultabas mihi.

Sortem improborum suffer, quos donis suis  
Fortuna cumulat: hos saginat <sup>7</sup>, ut immolet.

<sup>4</sup> Cirero de Offic. Lib. I. Cap. XXI. *Quæ eo faciliora sunt Philosophis, quò minus multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quò minus multis rebus egent.*

<sup>5</sup> Abstemius, Fab. X.

<sup>6</sup> Ornithon locus est. in quo saginandæ aves chortales includuntur. Vide scriptores rei rusticæ, Columell. Lib. VIII. Cap. IV. & Varonem passim.

<sup>7</sup> Commirius, Fab. de Tauro saginato:



## FABULA XL.

*Aranea & Hirundo.*<sup>3</sup>

A R A N E A quondam exarserat in Hirundinem,  
 Irata, muscas, ipsa vesci quas solet,  
 Quòd illa caperet ore furaci volans 9.  
 Ergo vindictæ cupida, nec, res exitum  
 Quem sit habitura denique, fatis providens,  
 Textilia ad altas retia suspendit fores,  
 Quà pervolare sæpe inimicam viderat.  
 Enimverò illa concitatos impetus  
 Mox advolando hùc dirigit; sed retia,  
 Simulque textricem aera per medium rapit;  
 Portatque, nec novi oneris quidquam sentiens.  
 Tunc misera tractus per profundos aeris  
 Aranea pendens: Hanc, ait, justè vicem  
 Experior, genera quæ volantium infima  
 Cùm vix labore magno prædari queam,  
 Capere aves posse tam magnas putaverim.  
 Majora viribus aggredi ratio vetat;  
 Sed ratio, & ira quid in commune consulunt?

Miratur hos, paresque Dīs vulgus facit:

At verò sapiens despicit, ceu victimas,

Fortuna quas saginat, ut sibi inimoler.

Hæc porro mihi ex cognitione Comurianorum versum præviæ  
 nullâ inclidit sententiâ, cæteroque communis & pervulgata.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. X. Fab. VII. Abstemius, Fab. IV.

<sup>9</sup> Plinius hist. Lib. X. Cap. XXIV. *Sola avium (hirundo) non nisi  
 in volatu pascitur.*











## FABULA XLI.

*Vulpis & Ericius.* <sup>1</sup>

REI administrum publicæ, furtis suis  
Ditatum, Samii dedere cùm vellent neci,  
Æsopus tali fabulâ deterruit:

Tetram in lacunam fortè Vulpis incidit,  
Nec potuit exire, impeditis cruribus  
Limo tenaci. Et hùc simul denso agmine  
Muscæ advolantes indefensam aculeis  
Fodere infiterunt. Quod videns Ericius,  
Parabat, quippe motus misericordiâ,  
Malas abigere volucres; illa sed abnuit:  
Namque has mihi, inquit, ne molestiam gravem  
Jam facere possint, satietas ipsa impedit:  
Succederentque mox aliæ famelicæ,  
Quæ, mihi quod reliquum sanguinis est, exfugerent.

FABULA XLII.<sup>2</sup>*Struthiocamelus altùm volandi cupidus.*

MENTE id ferebat anxîâ, quòd veriùs  
Se subsilire, quàm volare cerneret  
Struthiocamelus <sup>3</sup>, utpote brevioribus

<sup>1</sup> La Fontaine. Lib. XII. Fab. XIII. Philib. Hegemon, Fab. XIX. Faernus, Fab. XYII. Camerarius, Fab. CCCXCII. Menagius, Fab. IV. De Ericio vid. not. ad Fab. V. Lib. I.

<sup>2</sup> Camerarius, Fab. CCLXVIII.

<sup>3</sup> Plinius Hist. Lib. X. Cap. I. *Grandissimi, & pæne bestiarum gene-*

Instructus alis, & majore corporis  
 Mole impeditus. Ergo cùm perdiscere  
 Artem volandi cuperet, in rupis jugum  
 Erepsit, unde se demisit. At gravi  
 Actus deorsum lapsu fregit tibias.  
 Sic ferri in altum qui cupiebat æthera,  
 Is jam ambulare ne potuit quidem solo.

Ad altiora, quàm natura fert sua,  
 Qui tendere audent, nostra fabella hos monet.

*ris Struthiocameli (gallicè Antruches) . . . ad hoc demum datis  
 pennis, ut currentem adjuvent. Ceterò non sunt volucres, nec à  
 terrâ tolluntur.*





# FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER QUARTUS.



## PROLOGUS.



AB illo vetere, simplici, mundo stilo  
Jam tum recessit paululum Latinitas,  
Ubi romana pubes semel abhorruit  
Ab scriptitandis versibus fenariis,  
Quales Poetæ veteres omnes comici  
Fundere solebant. Immo ferme ceteri  
Veteres Poetæ, si qua præfertim vastræ  
Lubido Musæ scriptionem ludicram,  
Menippeamque concinnare iusserat,  
In metro amabant liberum hunc morem sequi  
Suavem profectò, nec vocabulis minùs,  
Quàm rebus ipsis aptandis idoneum.  
Romanorum ille Varro <sup>1</sup> qui doctissimus

<sup>1</sup> A. Gellius, Lib. III. Cap. X. Varronis de numero septenario Librum exponens: *Tum ibi, inquit, addit se quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eam diem septuaginta hebdomadas Librorum conscripsisse.*

Ante, & post fata dictus est, hujusmodi  
 Senariorum millia multa scripserat;  
 Seu defricandis <sup>2</sup> moribus operam daret,  
 Urbemque lepidis recrearet lusibus;  
 Seu fabulosas callidè contexeret  
 Narrationes, monitis & perspergeret  
<sup>3</sup> *Communem vitæ ad usum pertinentibus.*  
 Olim hæc fuere <sup>4</sup>. Deinde scribendi genus  
 Tam facile, tanque delicatum respuit  
 Illapsa sensim argutiarum <sup>5</sup> cupiditas,  
 Demumque turbo <sup>6</sup> cordubensis obruit.  
 Jamque hæc regnare pestes latè cœperant,  
 Suas fabellas Phædrus cùm primùm edidit:  
 Quæ fortè causa est, cur hodie nullo <sup>7</sup> fere

<sup>2</sup> Horatius, L. I. Sat. 10. v. 4. de Lucilio:

At idem, quod sale multo  
 Urbem defricuit, chartâ laudatur eadem.

<sup>3</sup> Varronis ipsius verba hæc sunt apud A. Gellium, Lib. XIII.  
 Cap. XI.

<sup>4</sup> Catullus, carm. 4. v. 25.  
 Sed hæc prius fuere.

<sup>5</sup> Plautus: Bacchid. act. I. Sc. 2. v. 19.  
 Etiam me adversus exordire argutias?  
 Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

Cicero, de Legib. L. I. c. 2. *Cujus loquacitas habet aliquid argu-  
 tiarum.*

<sup>6</sup> Turbo cordubensis hæc significat importunam illam eloquentiam,  
 quam, veluti quemdam turbinem immisit Latio Corduba.  
 Martialis, Lib. I. Epigr. LXI.

Duosque Senecas, unicumque Lucanum  
 Facunda loquitur Corduba.

Quintilianus, Instit. Orat. L. 10. c. 1. extremo, de eloquentiâ Sene-  
 cæ philosophi: *Corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod  
 abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno  
 iudicio.*

<sup>7</sup> Nihil usquam apud Veteres de Phædro memoratur, nisi quod Mar-  
 tialis, Lib. III. Epigr. XX. & Avienus præfat. fabular. meminere  
 ipsius quidem, at meminere tantum.

Munitus exstet Veterum testimonio;  
Neque hunc sibi esse cognitum Seneca <sup>8</sup> indicet.

Meo quidem iudicio, si Phædri stilus,  
Si ingenium, & ista æquabilis festivitas  
Aliquando fuerint Romanis contemptui,  
Bonarum apud eos Artium scientiam  
Tunc esse paulùm adulteratam oportuit <sup>9</sup>.  
Illius ergo semita quàm monstrat viam,  
Cupidus sequendi, passibus haud æquis licèt,  
Pergam innocentes expolire fabulas.

## F A B U L A I.

*Sus & Leæna.* <sup>1</sup>

FECUNDA Sus Leænxæ vertebat probro,  
Catulum quòd unum quolibet partu ederet:  
Unum, at Leonem, retulit indignans Fera.  
Res dignitate prævalent, non copiâ.

<sup>8</sup> Seneca consolat. ad Polybium, Cap. XXVII. *Non audeo te usque ad producere, ut fabellas quoque, & Æsopos Logos, intentatum romanis ingeniis opus, solitâ tibi venustate connectas.*

<sup>9</sup> Plautus, Poen act. 5. Sc. 2. v. 70.

Servum hercle te esse oportet & nequam & malum.

<sup>1</sup> Æsopus, Fab. CCXIX. Tanaq. Faber ex arabico Loemani, Fab. XI. Commirius, Tom. II. pag. 224. Edit. 1715.





## FABULA II.

*Puer, & Passer fugitivus.* <sup>2</sup>

**P**RAVAM, malamque Passeris ingrati indolem  
 Afflictus olim conquerebatur Puer,  
 Quòd illum quanquam delicatioribus  
 Alere solebat, ipse nutritor, cibus,  
 Tamen à se abiret fugitivus. Dein supplicans:  
 Revertere, ait, amicule mi, revertere;  
 Amaritudo nulla mihi pectus movet,  
 Pacemque tecum, si reverteris, bonam  
 Reconciliabo 3: caveam saltem respice  
 Bellam, nitentem, quam relinquis: num nihil  
 Habet illa, quod te revocet, ac reddat mihi?  
 Ista fugitivum oratio jam cœperat.  
 Mutare, ut esset non inexorabilis;  
 At solo caveæ nomine audito avolat.

Pulchrum esse fabula carcerem nullum probat.

## FABULA III.

*Pastor & Mare.* <sup>4</sup>

**P**ECUDES cùm egisset Pastor ad litus Maris,  
 Undamque leni cerneret pellaciâ <sup>5</sup>  
 Ridentem, amore mercaturæ captus est.  
 Pecuniam ergo conficit: coemit nuces:

<sup>2</sup> Abstemius. Fab. XLIII. Camerarius, Fab. CCCXIV.

<sup>3</sup> Corn. Nepes., Lib. VIII. Cap. III. *Reconciliatis pace* (Thraſybulus) *legem tulit.*

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. II. Benſerade, Fab. CLII. Æſopus, Fab. XLIX. Laur. Valla, Edit. Rob. Steph. pag. 61.

<sup>5</sup> Lucretius, Lib. II. V. 556.

Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.

Navigio imponit: solvit: animo jam movet  
 Magna: tenet altum. At ecce tempestas furit:  
 Et cùm veniret in vitæ periculum,  
 Sua ipse mœrens cogitur in fluctus bona  
 Projicere; portumque etiam vix repetit miser,  
 Oves ibidem denuo cùm pasceret,  
 Et unda staret: O, video, nuces, ait,  
 Nuces, dolosa, rursus, at frustra, cupis.

Nos cautiores cùm facit infortunium,  
 Tunc aliquis ipso fructus è damno redit.

## FABULA IV.

*Leo, Asinus & Vulpis.*<sup>6</sup>

VENATUM ière Vulpis, Asinus, & Leo:  
 Præda ampla facta est: hanc Asinum Leo jubet  
 Partiri; singulasque partes singulis  
 Æquales ille cùm poneret, eum Ferus  
 Rapit, laniatque: postea Vulpeculæ  
 Dat idem negotium. Illa verò astutior,  
 Partem Leoni posuit longè maximam;  
 Minimam particulam vix reservavit sibi.  
 Leo, à quo fuerit tam bene docta, quæsiit;  
 Me, retulit illa, docuit hujus calamitas.

<sup>6</sup> Richer, Lib. II. Fab. X. Benferade, Fab. CLXIII. Æsopus, Fab. XXXVIII. Faernus, Fab. III. P. Targa, Fab. 13. Verdizotti, pag. 175.





## F A B U L A V.

*Musculus & Felis.*<sup>7</sup>

**O**BAMBULABAT, editus in mundum recens,  
 Musculus; & illam singulis animantibus  
 Communem lucis usuram dum carperet,  
 Præ gaudio alacer, ac properaret vivere;  
 Secum otiantem placidè, nixam clunibus,  
 Reductâ in orbem caudâ ad extremos pedes,  
 Similemque blanda meditati, Felem aspicit.  
 Mitis profectò bestia, inquit, en adest;  
 Ipsoque vultu spirat sanctimoniam;  
 Hanc compellare, & , ipsa si non abnuat,  
 Connectere modò vincla amicitiae lubet.  
 Accedit ergo propius. At exertis simul  
 Improba eum Felis unguibus capit, & vorat.  
 Modesta species non hominem sanctum probat,

## F A B U L A VI.

*Invidus & Avarus.*<sup>8</sup>

**I**NVIDO, & Avaro Jupiter quondam annuit,  
 Peteret alteruter id quod optaret, statim  
 Rem successuram votis; at lex est tamen  
 Dicta: ut, petenti quidquid alterutri datum  
 Fuisset, duplum tribueretur alteri.

<sup>7</sup> Abstemius, Fab. LXVII.

<sup>8</sup> Richer, Lib. VIII. Fab. XXI. Benferade, Fab. CCXIX. Avienus, Fab. XXII. Camerarius, Fab. CCLII.



Honestam certè, nec mihi visam hæctenus  
 Benignitatem impertit hodie Jupiter,  
 Secum ait Avarus: illam nos autem decet  
 Apponere lucro, quàm licebit maximo;  
 Parcamus igitur votis imprudentibus  
 Præire focio. Pro suâ parte Invidus  
 Attentâ mente pariter omnia ponderat;  
 Postquàmque, ne quid peccet imprudens, fatis  
 Sibi præcavisse visus est, edit prior  
 Sua vota; & unus postulat oculus sibi  
 Ut eruatur: focio geminos erui  
 Hac mercede velit, nec leve reputat lucrum.  
 Ubi fingit aliquid esse venturum boni  
 Cupido cæca negligit præfens malum.

## F A B U L A VII.

*Gallus, Asinus & Leo.*<sup>9</sup>

**I**N agrum eundem Gallus, Asinus & Leo  
 Venère: Gallus tritici grana ut legat;  
 Asinus, palatum<sup>1</sup> carduis ut tergeat;  
 Leoque, prædam si quam inveniatur, ut voret:  
 Adest inventus Asinus: hunc ergo neci,  
 Occurrit quando nil melius, jam destinatur:

<sup>9</sup> Richer, Lib. XII. Fab. XI. Benferade, Fab. LIII. Le Noble, Fab. CLXXXVII. Æsopus, Fab. LXVI. P. Targa, Fab. 123.

<sup>1</sup> Horatius. Lib. II. Sat. II. V. 23.

Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin  
 Hoc potius, quàm gallinâ, tergere palatum.

Irruit. At ecce Gallus argutissimis  
 Percellere auras cantibus simul incipit;  
 Simulque fugere cogitur Leo territus.  
 Natura Gallo hanc nempe virtutem dedit,  
 Solâ ut Leones voce vertat in fugam<sup>2</sup>.  
 Tunc Asinus autem, fugere trepidantem Ferum  
 Ubi videt, se terribilem stultè existimat;  
 Illumque credit, ex suû nimio metu,  
 Fugere, suumque ferre ne aspectum quidem  
 I'otuisse; ac tanta cæcitas animum tenet,  
 Ut etiam persequatur, ignavum vocans.  
 Sed Galli acutos cùm Leo tandem sonos  
 Minùs exaudiret, sistit, obvertit caput;  
 Miratus Asinum venientem, hùc refert gradum,  
 Stultamque pecudem strangulatam devorat.  
 Stultitia comitem si fòrs arrogantiam  
 Habuerit, homines certum in exitium trahit.

<sup>2</sup> Lucretius, L. 4. v. 714.

Quinetiam gallum, noctem explaudentibus alis,  
 Auroram clarâ consuetum voce vocare,  
 Nenu queunt rapidi contra constare leones,  
 Inque tueri: ita continuò meminère fugâi.

Quamquam hæc ego puto non magis esse vera, quam quæ de cantu  
 Cycni narrantur; poetis tamen, ceterisque aeniorum artium  
 scriptoribus talia comminisci semper licuit. At Fracastorius, nobi-  
 lis ille & eximius poeta, cùm physicum ageret in libro *de sympa-  
 thia & antipathia*, nimis, ut equidem reor, licenter scripsit,  
 Cap. I *Quid, quodd Leo, animalium omnium terror, gallina-  
 ceo tamen gallo terretur, præsertim cantum emittente?* La Boul-  
 laye-le Gouz, parte 2. peregrinationum; c. 53. longè aliud a se,  
 cùm in Tygri flumine navigaret, observatum tradit: *La nuit sui-  
 vante nous entendimes rugir un lion . . . sur notre douanik  
 il y avoit un coq. . . Ce coq suivant sa nature je mit à chan-  
 ter; & au lieu de faire peur au lion, comme j'esperois, il le  
 faisoit rugir plus fort.*

## FABULA VIII.

*Milvus, Corvus & Aquila.*

CARNEM<sup>3</sup> rapuerat, & auferebat Milvus;  
 Sed illam Corvus esse contendit suam,  
 Sibique raptam clamat, & furem arguit.  
 Tum criminatus alter, de dolo malo,  
 Calumniâque postulat adversarium.  
 Seque esse furem jurejurando negat.  
 Fortasse Corvus, apertâ vi irruens, queat  
 Id recuperare, quod sibi raptum dolet;  
 Sed novit hostem, quàm sit rostro, & unguibus  
 Pugnare non inhabilis; remque maluit  
 Finiri legibus. Ergo in jus eum vocat.  
 Cùmque hùc Aquila venisset, hanc humilis cliens,  
 Ut ne gravetur esse sibi judex, rogat.  
 Aquila, secandis quæ clientum litibus  
 Operam debere se putat, non abnuit;  
 Statimque carnem, quæ jurgandi occasio  
 Discordibus erat, ad se deferri jubet;  
 Quam, jussâ metuens detrectare, Milvus  
 Sanctum ad tribunal posteaquàm detulit:  
 Secedite, inquit illa; decretoriam  
 Sententiam ipso castino die feram.  
 Condicta venit hora: Corvus adfuit:  
 Sed expectatus esset cùm satis diu,

3 Phædrus, Lib. I. Fab. IV. V. 2.


Canis per flumen carnem dum ferret natans.

Nec compareret Miluus , Aquila exhibet,  
 Jam vacuum ab omni controversiâ, dapem;  
 Adjudicansque Corvo, sic pronunciat:  
 4 *Fatetur facinus is qui iudicium fugit.*

## F A B U L A I X.

### *Equus & Lupus.*

T U T U S fatis præsidio virtutis suæ  
 Cùm pascere tur solus in filvis Equus,  
 Ipsi, quam prædatus erat, ostentans ovem,  
 Felicitatem jactabat suam Lupus:  
 Et miror, inquit, quòd tu tantis viribus,  
 Animisque tantis præditus, leves cibos,  
 Et insuaves ab ipsâ decerpens humo,  
 Tolerare vitam potiùs asperam velis,  
 Quàm bellicosæ gentis exemplum sequi,  
 Vi rapere pecudes, fortioris præmio  
 Gaudere, pinguisque vesci carnibus.  
 Equus ad hæc: Non profectò, non tuam hanc tibi  
 Invideo sortem, quam potiùs miserabilem,  
 Et execrandam judico. Tenuis quidem  
 Inopsque victus est mihi: tamen suppetunt  
 Alimenta, quæ naturæ convenient meæ:  
 At profum hominibus; & meum nomen suis  
 Apud eos claret concelebratum laudibus:  
 Contra perpetuis imprecationibus



Omnes petunt te, publicam omnium luem;  
Et inter ista, quæ bona falsò nuncupas,  
Inureris omni turpitudinis notâ.

Nemo esse felix simul & infamis potest.

## F A B U L A X.

*Leæna & Ovis.*

O V E M Leæna rapuerat; sed eam tamen  
Lege moriendi misericors exemerat,  
Etiamque famulam fecerat propriam sibi;  
At ipsam amare cùm cœpisset, ultimâ  
Sui latibuli parte clausam sedulò  
Tenebat inter putridas cadaverum  
Reliquias. Misera ferre non poterat Bidens  
Fœtorem acerbum, lentisque cruciatibus  
Consumebatur; nec tamen audebat queri:  
Sic tacita tantùm murmurabat: Hòc magis  
Dolor ingravescit, quò minùs erumpit foras.

## F A B U L A X I.

*Vir sapiens & ejus Inimicus.*

V I R sapiens, etsi neminem unquam læserat,  
Inimicum habebat, qui celare quod diu  
Tentârat, odium frangere ultra non valens,  
Verba inter aspera graves ediderat minas.  
Simul audierunt, territi properant, monent



Amici. At ille: Jam nôram, inquit, hunc, mihi  
 Quàm fit inimicus; attulitque non leves,  
 Fateor, latère quamdiu voluit, metus:  
 Sed eum fuisse factum pejorem mihi  
 Falsò putatis: Esse clanculum malus <sup>5</sup>  
 Cùm definit hostis, esse tunc bonus incipit.

## F A B U L A XII.

### *Catella.*

CATELLAM <sup>6</sup>, valde amatam, delicatiùs  
 Pasebat manibus ipsa suis muliercula:  
 Nec alias illa ferre potuisset manus,  
 Vel consuëtas attulissent quæ dapes.  
 Sed cùm repenti, Fatis ita jubentibus,  
 Domina abiisset illuc, unde neminem  
 Redire dicunt; in potestatem venit  
 Hominum Catella, qui non suaves, ut priùs,  
 Benignitatis delicias impertiant,  
 At potiùs ipsam, tanquam si gregariis  
 De canibus esset aliqua, miserias pati  
 Cogant acerbas victitando duriter;  
 Etiamque sæpe tecto abigant interdiu,  
 Mittantque noctu exclusam, ah! dormitum foris.

<sup>5</sup> Plautus, Trinum. Act. I. Sc. 2. V. 15.

Nota mala res, optima est.

<sup>6</sup> Thesaurus, tum Rob. Stephani, tum Basilii Fabri, *Catellam*, quasi neutiquam à Cane, sed à Catenà tantùm derivatam exhibet. Martialis tamen Lib. I. Epigr. CIX. & Lib. VII. Epigr. LXXXVII. & Lib. XIV. Epigr. CXCVI. Hanc ipsam vocem ad pusillam Canem significandam adhibuit.

Miranti interea ceteras canes, quibus  
 Non melius esset, quam sibi, & suam tamen  
 Quæ fortem non dolerent, una sic refert:  
 Hæc vitæ ratio, quæ novitiæ <sup>7</sup> tibi  
 Videtur aspera, usu & assuetudine  
 Idonea nobis facta est, nunquam etiam placet;  
 Ac si quam acerba fortunæ severitas  
 Fecisset olim intercapedinem tuæ  
 Felicitati, id ipsum quod nunc tu negas  
 Te ferre posse, ferres vivendi genus,  
 Beata præfens vita venturæ nocet.

## FABULA XIII.

*Rusticus & Asinus.*

SUA gravatum farcinâ, quantum fatis <sup>8</sup>  
 Debebat esse, agebat Asinum Rusticus.  
 Cùm carperet iter per frutetosum locum:  
 Ni sum falsus, ait, hinc prope astant en mihi  
 Virgulta, vario quæ esse possint usui:  
 Meam illa certè faciunt <sup>9</sup> ad cupidinem;  
 Decerpere igitur esse operæ pretium puto.  
 Ohe, resiste, barde: id oneris additum  
 Feres, nec, opinor, magno incommodo tuo.  
 Resistit ille. Nec mora, imprudens herus

<sup>7</sup> Terentius, Eun. Act. 3. Sc. 5. v. 33.

Paucæ, quæ circum illam essent, manent

Novitiæ puellæ.

<sup>8</sup> Cicero, de Orat. L. 2. c. 41. *Satis esse deberet.* Seneca, Epist. 8.

*Quantum fatis est.*

Martialis, L. 10. Epigr. 45. v. 6.

Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.



Virgulta cædit, mundat, aptat, colligat,  
 Pondusque iusto ponderi adjiciens novum,  
 Plus, ratio quàm finat, Asini dorsum premit.  
 At sic tamen eum progredi<sup>1</sup> viam videns  
 Satis expedito incessu, sarcinam putat  
 Non esse tantam, major ut aliquantulò  
 Non illa fieri sine periculo queat;  
 Lapidum ergo fortè cùm strues occurreret  
 Juxta viam seposita, & ex illis duos  
 Videret, qui placerent sibi præ ceteris:  
 Stultè facerem, ait, si, quod objicit mihi  
 Fortuna tam benigna, negligerem bonum.  
 Atque duo lapides, facilè quos tollit manus,  
 Quantillum est oneris? hos & Aselle mi, feres.  
 Officium vires prope recusant: fert tamen  
 Pecus misella; colligit etiam breves  
 Sui vigoris reliquias, & exerit:  
 Ita ut miretur, gaudeatque Rusticus,  
 Asinum sibi esse talem, quem nullus labor  
 Debilitet: cùmque gravior nudum incedere  
 Suaderet æstus, detrahit vestem sibi,  
 Et ceteris quoque impedimentis eam  
 Non dubitat super ingerere, nil dum suspicans,  
 Quanto prope esset bajulus infelix malo  
 Ut conficeretur denique. Enimverò in viâ

<sup>1</sup> Virgilius, Aen. L. 12. V. 219.  
 Incessu tacito progressus.  
 Vide annot. ad Lib. 10. Fab. 21.



Grave offendiculum cùm fetellisset pedem,  
Simul ille cadit, & farcinâ oppressus perit.

Qui minimus, sæpe summus est mali gradus <sup>1</sup>

## FABULA XIV.

*Superba Anxietas, sive Musca, Trochilus,  
& Troffulus.* <sup>2</sup>

ÆSTATE mediâ concitati sex equi  
Currum trahentes, putre quatiebant solum,  
Claramque denso pulvere tegebant diem.  
Temone in ipso tenuis intereâ sedens:  
O quantus, inquit Musca, premit equos labor,  
Quantusque fudor irrigat, dum me trahunt!  
Sic prævalenti cùm federe vult trabe,  
Quæ quinque opimos facilè sustineat boves,  
Pusillus ille, ex alitum gente infimâ,  
Prætentat illam Trochilus <sup>3</sup>, & superfilit  
Similis timentî, ferre ne se non queat.  
Sic impudenti Troffulorum de grege  
Aliquis, ineptus, administris imperî  
Multùm exhibere se negotii putat,  
Qui, vivat ille <sup>4</sup> an mortuus sit, nesciunt.

<sup>1</sup> Dicitur mortem sibi conscivisse quidam Anglus nullâ de causâ, nisi quòd suas malas inscitè esse à tonsore purgatas doleret. Non dubito, quin antecesserint ægritudines variæ, quibus homo melancholicus cùm non responsavisset, ut fortem decebat, huic demum importunæ offensivulæ succubuerit.

<sup>2</sup> Ben'erade, Fab. XXXI. Le Noble, Fab. CXCVII. Abstemius, Fab. XVI. Faernus, Fab. XLV. Camerarius, Fab. CCCCXII.

<sup>3</sup> Regulus vulgò dicitur. Plinius Hist. Lib. X. Cap. LXXIV. *Dissident...* *Aquila & Trochilus, si credimus, quoniam Rex appellatur avi'm.*

<sup>4</sup> Cicero Philipp. XIII. Cap. XVI *Vivat, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat?*



## F A B U L A X V .

*Avarus & Thesaurus.* <sup>5</sup>

**T**HESAURUM Avarus fossâ condiderat humo:  
 Quem fur odorans quærit, invenit, rapit.  
 Ille igitur hûc reversus, ut vacuum videt  
 Locum, execratur omnibus Sortem modis <sup>6</sup>.  
 Tum quidam sapiens: Quid, ait, incassum furis?  
 Ubi pondus auri sterile posueras, ibi  
 Repone lapidem; tibi tantumdem proderit.  
*Tam deest Avaro quod habet, quàm quod non habet.* <sup>7</sup>

## F A B U L A X V I .

*Lupus Filium erudiens.*

**L**UPUS erudire filium, visum sibi  
 Nimis ferocem, voluit ad mores bonos:  
 Generi, inquit, nostro multa multi existimant  
 Jure exprobrari, digna turpibus notis:  
 Sævi, rapaces, furtis atque cædibus  
 Assueti vivere latrones, Lupi audiunt:  
 Isti sunt tituli, istæc honorum insignia,  
 Quibus adornare nos plerique hominum solent;  
 Et, si fateri quod res est, nobis licet,

<sup>5</sup> La Fontaine · Lib. IV. Fab. XX. Benferade, Fab. CLVI. Æsopus,  
 Fab. LIX. Faernus, Fab. XLVIII.

<sup>6</sup> Terentius Eunuch. Act. II. Sc. III. V. 92.

Et quæ nos semper omnibus cruciant modis.

<sup>7</sup> P. Syrus.



A veritate non aberrant plurimum:  
 Quod ut refutes, nate, moderato tuo  
 Vivendi more, & exemplis, quantum potes,  
 Sanctis, & omni furto, fraude vacantibus,  
 Falsum esse tandem ostendas, te multum precor.  
 Hæc juniori causam plausibilem Lupo,  
 Et honestam habere credita est oratio;  
 Animoque penitus ille jam receperat  
 Monitus paternos, & reluctantem licet,  
 Ad obsequendum comparabat indolem.  
 At ecce, quæ fors dereliquerat gregem  
 Deerraveratque, his interim aspicitur ovis:  
 Simulque victus cessit, ac evanuit  
 Amor honestatis, cujus successit loco  
 Sævæ rapacitatis, cædis impiæ  
 Libido victrix. Subitò ad prædam curritur:  
 Capitur, necatur, manditur misera bidens:  
 Bona hùc consilia recidère. Sed utrum putas  
 Patefacere ausum sceleris patrando viam?  
 Ipse, erudierat qui præceptis tam bonis,  
 Ipse fuit auctor sceleris patrandi pater.  
 Hanc pædagogis offero, dico fabulam,  
 Qui sancta verbis, prava sed exemplis docent.





## F A B U L A XVII.

*Vulpis sine caudâ.* 8

VULPIS retentam laqueo caudam amiserat,  
 Elapsa, vitamque hoc pretio redemerat,  
 Sedenim pudore mixtus affligit dolor  
 Misellam, quòd se deinde sic oporteat  
 Curtam ambulare. Socias ergo, tunc simul  
 Ut fortè magnâ coierant frequentiam,  
 Adit, fedetque, suasque perprimit nates  
 Prudens, tegitque causam moeroris sui:  
 Dehinc: Istam, inquit, caudæ longitudinem 9,  
 Natura generi quam dedit nostro nimis  
 Benigna, cur, sorores, non abscindimus?  
 Eà lutosam verri humum numquid juvat?  
 Ego verò amitti tale onus, lucrum puto.  
 At, quæ rescierat hujus infortunium,  
 Sic retulit una: Consilium non improbo,  
 Nec dubito, nobis cur dares illud, gravis  
 Quin causa fuerit; persuadere sed mihi  
 Nil poteris, tergum ni priùs obvertas, foror.  
 Hic omnium ingens irrifio Vulpeculam  
 Caudâ carentem exire coetu perpulit.

Quâ quis laborat, si queat cum pluribus  
 Comunicare infamiam, reputet levem.

8 La Fontaine, Lib. V. Fab. V. Benferade. Fab. CLXVI. Æsopus,  
 Fab. VII. Faernus, Fab. LXXI. Jaius, To. II. pag. 744.  
 9 Phædrus, Lib. I. Fab. VIII. V. 8.  
 Gulæque credens colli longitudinem.







## FABULA XVIII.

*Mustela & Mures.* <sup>1</sup>

MUSTELA senior, ac deserta viribus <sup>2</sup>.  
 Mures, ut olim, non valebat assequi.  
 Dolum ergo cœpit struere, quo prædam citra  
 Ullum laborem venari, integrum foret.  
 Ore tenus in farinam sese condidit.  
 Accedunt Mures: at farinam strenuo  
 Dente subigentes ubi Mustela prospicit;  
 Ungues scelestos exerit, & prædam capit.  
 Solertia sæpe virium præstat vicem.

## FABULA XIX.


*Puer & Colonus.*

DUM vallem amœnam cupidus explorat Puer;  
 Pulchrosque flores pulchrior ipse dum legit:  
 Colonus, esse nil fatis tutum, monet;  
 Malas in herbâ <sup>3</sup> delitescere bestias,  
 Quarum videlicet inopinis moribus  
 Infligeretur vulnus insanabile:

<sup>1</sup> Barlandus, Edit. Rob. Steph. pag. 146. Phædrus, Lib. IV. Fab. 1.  
 Vid. not. ad Lib. II. Fab. XLII.

<sup>2</sup> Phædrus. L. I. Fab. 21. v. 3.  
 Defectus annis, & desertus viribus  
 Leo cum jaceret.

<sup>3</sup> Virgilius. Ecl. 3. v. 93.  
 Frigidus (ô pueri, fugite hinc) latet anguis in herbâ.



Itaque prudenter ageret; aut potius loci  
 Niniùm maligni amœnitatem sperneret,  
 Discederetque, si saperet. Exterritus.  
 Hæsit Puer; avidamque continuit manum.  
 At mox recrefcit 4 viribus polleas novis  
 Cupido, mox & imperat pulfo metu.  
 Ergo ille genio liberè indulget fuo.  
 At violam, quæ micabat inter gramina,  
 Ungue temerarius improbo cùm carperet,  
 Attingit infcius, excitatque viperam  
 Ibi excubantem: quæ simul dente afpero  
 Hunc pungit, & veneno letali imbuir.

Ubi eft voluptas, eſſe ibi periculum  
 Non facilè credi, oftendit hæc narratio.

## F A B U L A X X.

*Anicula & ejus Ancillæ.* 5.

DUAS habebat Anicula Ancillas domi;  
 Easque ad cantum galli gallinacè,  
 Quem ſibi ad id ipſum nutrìbat, quotidie  
 Ipſa excitabat, antequàm luceſceret,  
 Ut facerent opus. At illæ motæ denique  
 Tam pertinacis tædio vigilantia,

4 T. Livius, Lib. XXVI. Cap. XLI. ſub fin. *Vos modò, Milites, ſarcte nomini Scipionum, ſoboli Imperatorum veſtrorum, velut acciſis recreſcenti ſtirpibus.*

Ovidius Heroid. Epift. II. V. 5.

Luna quater lauit; pleno quater orbe recrevit.

5 La Fontaine, Lib. V. Fab. VI. Benſerade, Fab. CLXIV. Æſopus, Fab. LXXIX.



Obruncant gallum, sperantes, hoc mortuo,  
 Se posse somno longiore jam frui.  
 Sed mox earum spem fefellit exitus;  
 Hera namque, postquam gallus occisus fuit,  
 Jam surgere ipsas nocte intempestâ jubet.

Mortales aliquod evitare dum student  
 Leve malum, in aliud sæpe gravius incidunt.

## FABULA XXI.

*Vulpis, Asinus & Leo.* <sup>6</sup>

IN saltus nemorum devios processerant  
 Vulpis, Asinusque, venarentur ut simul.  
 Dum cursitabat Vulpis, occurrit Leo;  
 Utque illa vidit imminens periculum,  
 Accessit, & sodalem juravit suum,  
 Eumque vinctum, tradituram se Fero,  
 Impunitatem si promitteret sibi.  
 Qui cum illam sese dimissurum diceret;  
 Asinum scelestâ in calles incautum trahit.  
 Sed hunc effugere non posse ut Leo videt,  
 Vulpem ipsam primò comprehensam devorat,  
 Mandandum <sup>7</sup> ad Asinum convertit se postea,  
 Se perdunt <sup>8</sup> sæpe, socios qui perdunt suos.

<sup>6</sup> Richer, Lib. IV. Fab. XVI. Æsopus, Fab. CXVI. Faernus, Fab. LXXXII. Camerarius, Fab. CDLXXXI.

<sup>7</sup> Lucretius, L. 4. v. 1010.

Et quasi Pantheræ morsu, fævive Leonis  
 Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.

<sup>8</sup> Cicero de finib. bon. & mal. Lib. I. Cap. XV. *Multi amicos . . . plerique autem seipfos penitus perdidierunt.*



## FABULA XXII.

*Milvus ægrotans.* <sup>9</sup>

DICEBAT matri Milvus ægrotans suæ:  
 Quid lamentare frustra? quin potius Deos  
 Precibus exoras, mater? Illa sic refert:  
 Deorum, nate, quis miserebitur tuî?  
 Nullus vocatur precibus ac votis Deus,  
 Cujus aliquando templa non scœdaveris,  
 Et consecratas non violaveris dapes.  
 At unde nunc venit ista religio tibi  
 Tam subita summam Cœlitum in potentiam,  
 Quam, dum valeres, solitus es contemnere?  
 Rarò in periclis impius constat sibi.

## FABULA XXIII.

*Pardus & Vulpis.* <sup>1</sup>

MELIUS cavillâ <sup>2</sup>, quàm gravi sententiâ,  
 Reprimitur sæpe stulta gloriatio.

Superbiebat Pardus, quòd varius color  
 Suo datus esset corpori. At Vulpis jocans:

<sup>9</sup> Æsopus, Fab. CXXXII. Faernus, Fab. XIII. Gudius append. ad Phædr. Fab. I.

<sup>1</sup> Benferade, Fab. CXXI. Boursault Comœd. Æsopicâ II. Act. III. Sc. III. Philib. Hegemon, Fab. XVI. Æsopus, Fab. CLXII. Avienus, Fab. XL.

<sup>2</sup> Plautus Aulul. Act. IV. Sc. IV. V. II.

Aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.



Meus, inquit, animus & varium, quoties libet,  
 Capere colorem didicit; ac tantò magis  
 Te nostræ oportet dignitati cedere,  
 Quantò plus vili præstat animus corpore.

## F A B U L A XXIV.

*Deus Ligneus.* <sup>3</sup>

FREQUENS <sup>4</sup> colebat Ligneum quidam Deum  
 Paganus; & rogabat, ut aliquid boni  
 Sibi tribueret: sed fiebat interim  
 Res ejus omnis in dies angustior.  
 Ergo vehementi denique irâ percitus,  
 Deum, apprehensis cruribus, magno vibrans  
 Conatu intorquet; muro & illidit caput.  
 At ecce, quanta nec erat in votis quidem,  
 Effracto capite magna vis auri effluit:  
 Quam lætus ille dum recolligit: Mihi  
 Nil, inquit, profuisti, quamdiu bene  
 Tibi feci; nunc, cùm noceo, prodesse incipis?  
 Abi autem procul, inepte, & futilis Deus!  
 Istis nihilo plus improbis famulis vales,  
 Qui, nisi malè habiti, nullum opus faciunt bonum.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. VIII. Benferade, Fab. LXXXIII. Æsopus, Fab. CXXVIII.

<sup>4</sup> Cicero, Orator. c. 4. *Ex epistolis (Demosthenis) intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor.*

Horatius, L. I. od. 34. v. 1.

Parcus Deorum cultor & infrequens.



## FABULA XXV.


*Juvenes duo & Ursus.* <sup>5</sup>

CUM pellione Juvenes duo transegerant <sup>6</sup> :  
 Ille stipulatam <sup>7</sup> tradidit pecuniam ;  
 Hi promisere pellem villosissimam  
 Ursinam, eamque amplissimam : Nondum quidem  
 Necatus ipse est Ursus nobis, inquit ;  
 At, quod tantumdem est, ubi stabulet, notavimus :  
 Imus : neq̄atum qui deglubant, mittito.  
 Hinc nemus ingressi dum invicem sese excitant,  
 Ut omnem corde porrò propellant metum ;  
 Ecce latebroso prædam odoratus, specu  
 Erumpit Ursus. Illi simul exterriti  
 Trepidare. At alter, ut erat agilis, & levis,  
 Quam primam reperit, altam scandit arborem ;  
 Humi decubuit alter ; sive didicerat,  
 Urli id esse moris, ut depascerent  
 Viventium artus, mortuorum spernerent ;  
 Seu potius ipse fregerat hominem metus,  
 Profraveratque non ab similem mortuo.  
 Hunc versat omnes Ursus in partes ; suum  
 Ad os jacentis nares & rostrum applicat ;  
 Nullumque postquam spiritum sensit : Procul

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. XX. Benferade, Fab. Cl. Æsopus, Fab. CCLIII. Avienus, Fab. IX. Abstentias, Fab. XLIX.

<sup>6</sup> Cicero ad Attic. Lib. II. Epist. IV. *Amabo te, cura, ut cum Titinio, quoquo modo poteris, transigas.*

<sup>7</sup> Cicero Orat. pro Rosc. Com. Cap. V. *Hæc pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit . . . stipulatam non esse taciturnitas testium concedit.*



Abeamus, inquit; istud omnino liquet  
 Cadaver esse; jamque foetere incipit.  
 Quem cum prospexit abscessisse longius,  
 Ex arbore tandem timidus descendit comes,  
 Sociumque prendens <sup>8</sup>: Plurimum tibi gratulor,  
 Amice, dixit, tanto quem periculo  
 Ereptum video: sed rescire pervelim,  
 Ad te jacentem cum propius accederet,  
 Tecumque tacite Fera videretur loqui,  
 Tibi forte moniti si quid instillaverit.  
 Me monuit, inquit, ut ne pellem vendere  
 Viventis Ursi collibeat unquam mihi.

## FABULA XXVI.

*Bos & Equus.*

SALUBRIS inter prati delicias dabant  
 Omnem suam operam corpori augendo Boves:  
 Quorum unus, advenire cum inciperet sibi  
 Bonorum ab ipsa nimietate <sup>9</sup> tædium,  
 Juncos rigentes proximi lacus petiit,  
 Sperans ibi aliquod irritamentum gulæ  
 Possè reperiri: sed simul vestigium  
 In ora posuit udâ, crassi corporis  
 Obesitate <sup>1</sup> defixus, inhæsit luto.

<sup>8</sup> Terentius Phorm. Act. IV. Sc. III. V. 14.

Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam.

Prendo hominem solum: Cur non, inquam, Phormio, &c.

<sup>9</sup> Columella. Lib. VI. C. XXIV. Nimietate verni pabuli pecudes exhilarate lascivunt.

<sup>1</sup> Idem ibid. Ne eas steriles reddat nimia corporis obesitas.

Illum tenacibus impeditum angustis,  
 Cùm se expedire <sup>2</sup> quæreret, focii vident;  
 Illumque, longis cùm sibi mugitibus  
 Opem, dare vellent, imploraret, audiunt:  
 Neque commoveri eos tamen sentit miser.  
 Interea macer, & maximis laboribus.  
 Exercitatus, multisque miseriis, Equus  
 Prope hinc advertit infortunium Bovis;  
 Et subvenit ultro, & utilem simul incipit  
 Operam adhibere: nam lutum partim ejicit,  
 Teritque partim calcibus, & sic deprimit;  
 Facilemque demum tramitem Bovi facit.  
 Qui tale gratus ad beneficium stupens:  
 Satis unquam, dixit, hancce misericordiam  
 Laudare possum? sed quid autem te impulit  
 Ut me adjuvares, cùm propinqui etiam mei  
 Me derelinquant omnis auxilii indigum?  
 Equus simpliciter: Hi suâ videlicet,  
 Usque affluentes dum bonis vivunt, frui  
 Felicitate tantùm nôrunt: ast ego  
 Miseris <sup>3</sup> adeste didici haud ignarus mali.

<sup>2</sup> Vid. not. ad Fab. XIV. Lib. I.

<sup>3</sup> Virgilius Æn. Lib. I. V. 634.

Non ignara mali miseris succurrere disco.





## FABULA XXVII.

*Puer & Turbo.* <sup>4</sup>

DUM verberare torto Turbinem <sup>5</sup> exercet Puer:  
 Cur te, inquit, ut agitere motu idoneo  
 Pulsare cogor? Turbo respondet: Statim  
 Iners jacerem, nisi animos plagæ darent.  
 Multis necesse est vexari, ne torpeant.

## FABULA XXVIII.

*Leo, Agnus & Cerva.* <sup>6</sup>

AGNUM vorare dum Leo inventum parat,  
 Cervam sub arbore recubantem conspicit;  
 Simulque prædæ melioris cupidine  
 Pellectus, petit hanc; viliorem, quam tenet,  
 Respuit. At hujus Cerva venientis sono  
 Admonita, promptos in pedes se conjicit;  
 Et insequentem pernici eludit fugâ.  
 Hanc denique ille non valere se assequi  
 Ubi videt, primam, quam stultè reliquerat,

<sup>4</sup> Regnerius, Part. I. Fab. X.

<sup>5</sup> Virgilius Æn. Lib. VII. V. 378.

Ceu quondam torto volitans sub verberare turbo,

Quem pueri . . . exercant. . . .

Dant animos plagæ.

Cicero, Orat. pro Flacco, c. 27. *Est proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem.*



Prædam repetere statuit: at ferò redit:

Agnus enim tuto jam recepit se loco.

Ita Leo, nimiùm quia cupiit, cepit nihil.

Hos fabula notat, qui, meliora dum petunt

Non obtinenda, præfens amittunt bonum.

6 Æsopus, Fab. CCXXVIII.







FABULARUM  
ÆSOPIARUM

LIBER QUINTUS.



PROLOGUS.



Hos annos ante septuaginta libris,  
Stilo Latino rite compositis, suus  
Honus erat adhuc, suaque laus in Galliâ.

Nunc tale vix est qui suis opus velit  
Subjicere prælis Typographus; vel si audeat  
Aliquis, periculum est, emptor ne suus libro,  
Suusque lector desit. Tanto obnoxiam  
Latinitatem fecit despicatui <sup>1</sup>  
Indocta morum facta commutatio!  
Etenim profectò hanc imperitis moribus  
Objicio culpam; quòd virum Gallum, ingenî  
Cui vis, & apta dislerendi copia

<sup>1</sup> Cicero, Orat. pro Flacco, C. 27. *Siquis despicatui ducitur.*

Concessa fuerit, nunc plerique vix putent  
 Hominem esse sanum, si latinè scripserit;  
 Saltem inficeto, pravoque ejus indolem  
 Fuisse studio corruptam dijudicent.  
 Atqui latinum quemque scriptorem optimum  
 Vetustum assiduâ rectè versari manu,  
 Pars nostrorum hominum fauor nondum negat.  
 Ergo & tentare, an illa, quæ toties legas,  
 Imitando demum aliquatenus <sup>2</sup> valeas tuis  
 Æquare scriptis linguâ eâdem differens,  
 Conatus est dicendus haud inutilis:  
 Et adjuvanda est talis æmulatio <sup>3</sup>.  
 Ita nempe fiet usitator in dies  
 Latinitatis aureæ scientia;  
 Ejusque porrò varias optimas opes  
 Frequentiori disfrahere commercio  
 Cunctis licebit. Sin minùs; brevè accidet  
 Ex vanæ <sup>4</sup> Gentis arrogantia, ut sibi  
 Occludat ipsa limpidos fontes bonæ  
 Antiquitatis: cujus ingenuæ quidem  
 Veneres, salesque lepidi, & ars æquabilis  
 In libris, quos nunc Gallica expolit manus,  
 Plerisque nullum jam ferè inveniunt locum.

<sup>2</sup> Vox *aliquatenus* Vossio de Vitii Sermonis, Lib. I. Cap. XXV. Falsè a lemodum, suspecta est: quippe quæ permultis Columellæ, Senecæ, Plinii Historici, & aliorum exemplis comprobetur.

<sup>3</sup> Cicero Tusculan. Lib. IV. Cap. VIII. *Æmulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc sit: nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur.*

<sup>4</sup> Cicero de Divinat. Lib. I. Cap. XIX. *Irvideamus Haruspices, Vanos, futiles esse dicamus: quorumque disciplinam & sapientissimus vir, & eventus, ac res comprobavit, contemnamus.*



Hâc ipse commotus aliquantulùm fui  
 Iniquitate temporum, & deterritus 5  
 Ne quid latinè scriptum mandarem typis.  
 At primùm in istis, quas polivi, fabulis  
 Satis expedita cùm sit simplicitas stili,  
 Brevitasque, & sensûs varietas probabilis;  
 Esse placituras aliquâ parte credidi  
 Venturasque etiam in multitudinis manus.  
 Tum si longè aliter accidat, paucissimis  
 Contentus esse decrevi lectoribus;  
 Satis beatus, hi modò sint similes tuî,  
 Optime Saleri, qui lepore candido,  
 Et arte lucidâ, & opibus cunctis bonæ  
 Antiquitatis jam diu mentem tuam,  
 Bonam ipsam & alacrem, sedulò informaveris.

Quòd si increpuerit lector impatiens moræ  
 Hunc fortè paulò longiorem Prologum,  
 Faciliùs ut redire possim in gratiam,  
 Nulla afferetur verbosa <sup>6</sup> excusatio:  
 At fabularum quæ mearum pars erit  
 Extrema <sup>7</sup>, quintum protinus librum dabo.

5 Scioppius in infamiâ Famiani, pag. 43. Edit. 1658. damnat hanc vocem; pro quâ Famianum Stradam admonet, dici ab ipso *terrītum* vel *conterrītum* oportuisse. Verumtamen Phædrus, Lib. V. Fab. IV. V. 7. Dicit se fabulæ respectu *deterrītum*: Ovidius Metam. Lib. X. V. 600. Hippomenem juvenum eventu *deterrītum* memorat: atque Cicero ad Attic. Lib. X. Epist. XV. pudore *deterrītum* narrat Antonium.

6 Phædrus, L. 2 Prol. v. 13.

Cujus verbosa ne sit commendatio.

Cicero, ad famil. L. 7. Epist. 3. *Hæc ad te scripsi verbosius. Ibidem. Habes epistolam verboliorem fortasse.*

7 *Extrema. Lege: non ultima.*



## FABULA I.

*Camelus.* <sup>8</sup>

PRIMUM ut Camelus visus est, perterriti  
Homines fugere; procedente tempore  
Considerarunt ejus mansuetudinem:  
Qua cognitâ aliquis ausus est accedere.  
Sed ubi compertum est nullam in tantâ belluâ  
Inesse bilem <sup>9</sup>, sic eam contemptui  
Habuerunt, ut capistrum cogerent sequi <sup>1</sup>,  
Puerisque parvis circumagendam traderent.

Fabella ostendit usu, & assuetudine  
Minui timores, sensimque evanescere,

## FABULA II.

*Viator & Lapidés.*

ISTI me Lapidés herclè conficiunt gravi  
Labore, cursumque etiam, nec mediocriter,  
Præpediunt; talem cur molestiam fero,  
Inquit Viator saxosam ingressus viam?  
Simulque Lapidés, quotquot obstant, incipit  
Tollere, & ejicere, & expurgare litem,  
Sese facilius agere quâ possint pedes.

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. IV. Fab. X. Æsopus, Fab. CXVIII. Faernius,  
Fab. XVIII.

<sup>9</sup> Plinius Hist. Lib. XI. Cap. XXXVII. *Fel. . . . Cameli . . . non  
habent.*

<sup>1</sup> Horatius, Lib. I. Epist. X. V. 48.

Tortum digna sequi potius, quàm ducere funem.

Sed quis enimverò fructus hinc demum redit?  
 Quadruplum laborem quadruplam is moram trahit.

Homines hoc sæpe, sufferendum quod venit,  
 Minuere stultè dum volunt, augent malum.

## FABULA III.

*Vulpis & Cervus.*

MALEVOLO Vulpis, & inimico percita  
 Livoris æstu, probra Cervo ingesserat <sup>2</sup> :  
 Sed quanquam acuta, ac diligens malignitas  
 Perviderat omnia, unam adextremùm tamen  
 Exilitatem tibiaram objecerat.

Cui non modò nihil asperum contra refert  
 Cervus, sed ipse gratulans etiam sibi:  
 Omni meâ, inquit, me esse contentum satis  
 Specie decebit, livor in quâ perspicax  
 Id unum vitii, tantulumque, notaverit.

Invidia quædam est, quæ quos carpsêrit, juvat:  
 Quod non vituperat, laudat malevolentia.

<sup>2</sup> Horatius, L. I. Sat. 5. V. II.

Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ  
 Ingerere.

T. Livius, L. 2, C. 45. *Concuissant portis, ingerunt probra,*





## F A B U L A IV.

*Carbonarius & Fullo.* <sup>3</sup>

FULLONEM cùm rogaret Carbonarius,  
 Ut unà secum, quam domum conduxerat,  
 Habitare vellet: Quod rogas, non expedit,  
 Respondet Fullo; nitida enim quæ redderem,  
 Carbonibus ea tu mihi inficeres tuis.

Malè focientur, quæ naturâ discrepant.

## F A B U L A V.

*Cervus & Vitis.* <sup>4</sup>

VENANTES fugiens Cervus in vitem incidit,  
 Et pullulantes latuit inter palmites:  
 Sed mox pericli oblitus, & nefariâ  
 Frondis tenellæ plectus cupidine,  
 Vitem. licèt ipsi, quòd vivat adhuc, debeat,  
 Vitem sacrilego dente carpere incipit.  
 At ecce, dum liberiùs obsequitur gulæ,  
 Ramusculorum motus excitator,  
 Suam hìc adeste prædam, Venantes monet:  
 Qui subito adorti Cervum figunt spiculis.

<sup>3</sup> Richer, Lib. VI. Fab. XV. Benferade. Fab. CXXIII. Æsopus. Fab. XII. Faernus, Fab. LXIII.  
<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. V, Fab. XV. Benferade, Fab. CLXXV. Æsopus, Fab. LXV. Faernus, Fab. LXX. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I. pag. 751. Verdizotti, pag. 270.

Tunc ille moriens: Patior hanc meritò vicem,  
Dixit, meam qui servatricem <sup>5</sup> læserim.

## FABULA VI.

*Canis & Vulpis.* <sup>6</sup>

DUM gloriatur, dumque Vulpe se Canis  
Fecundiorẽ prædicat; Vulpis refert:  
Fecunda magis es; catulos at cæcos <sup>7</sup> paris.

Vanâ intumescit gloriâ fecunditas,  
Perfectione justâ si fetus carent.

## FABULA VII.

*Ager, in quo Thesaurus.* <sup>8</sup>

SIBI advenire sentiens summam diem  
Agricola, jussit filios accedere;  
Agrumque, dixit, quem relinquo, vos mala  
Cavete ne diffidia cogant vendere:  
Defossus illic namque Thesaurus latet;  
Quâ parte lateat, id quidem ignorat pater;  
Atenim monenti credite, ac lignonibus

<sup>5</sup> Terentius, Hecy. act. 5. Sc. 4. v. 16.

O Bacchis! O mea Bacchis, servat ix mea!

<sup>6</sup> Æsopus, Fab. LXIX.

<sup>7</sup> Plinius Hist. Lib. VIII. Cap. XL. sub fin. *Quidam tradunt, si unus (catulus) gignatur, nono die cernere: si gemini, decimo: idemque in singulos adjici, totidemque esse tarditatis ad lucem dies.*

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. IX. Benferade, Fab. CLXIX. Æsopus, Fab. XXII. Faernus, Fab. XXXV. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. 1. pag. 753. cujus verba nonnulla retinimus. P. Targa, Fab. 93.

Rastrisque glebas partem in omnem vertite :  
 Confidite ; labor Thefaurum eruet improbus ,  
 Ditabitque omnes. Interim moritur fenex.  
 Illi imperata facere ( spes enim lucri  
 Stimulat ) terramque fodere , quàm longa est dies.  
 Thefaurus , qualem cupierant , non est quidem  
 Inventus usquam ; sed agrum dum sic excolunt ,  
 Cultura peperit ipsa perpetuas opes.

Homini Thefaurus ingens , assiduus labor.

## F A B U L A V I I I .

*Venator , Palumbes & Cornix.*

T E N D E B A T arcum Venator collineans <sup>9</sup> ,  
 Visâ Palumbe : cui Cornix : Quid restitas ?  
 Quæ tibi minatur , hanc sagittam non vides ?  
 Video , inquit illa , sed Venator quam retro  
 Reducit ad se , petere me nedum velit.  
 Dum sic Palumbes misera se ipsam decipit ,  
 Volans sagitta improvidam transverberat.

Maledica vidi lingua cùm restringeret <sup>x</sup>  
 Sua tela , gravius hinc tamen vulnus daret.

<sup>9</sup> Collineare , est istum rectâ lineâ ad id , quod proponitur , dirigere .  
 Vide Ciceron. de finib. bon. & mal. Lib. III. Cap. VI. tum de Di-  
 vinat. Lib. II. Cap. LIX.

<sup>x</sup> Plautus. Capt. act. 3. Sc. I. v. 26.

Saltem , si non arderent , dentes ut restringerent.





## FABULA IX.

*Equulus & Equus.*

**E**QUULUS habebat herbas in prato affatim  
 Pingues, tenellas: luxus at gustum obtudit,  
 Ipsaque creavit fatietas fastidium.  
 Eòdem, vires reficiendi gratià,  
 Deductus fortè cùm fuisset Quadrupes  
 Senior; adit eum Pullus, & multâ rogat  
 Prece, impetratque, ne gravetur pascua  
 Hinc ad meliora ducere. Erumpunt simul,  
 Atque per aquosa vallium, ardua collium,  
 Aperta camporum æmulos <sup>2</sup> celerant <sup>3</sup> gradus.  
 At duplicari ductor umbras cùm videt,  
 Cursum reflectit, perque vias notas sibi  
 Sensim reducit ad relicta pascua:  
 Quò dum reveniunt <sup>4</sup> intereà sol occidit.  
 Nox itaque Pullo facilè causam præbuit,  
 Cur falleretur. Gramen is porrò obvium  
 Tondere properat, dentibusque avidis molit <sup>5</sup>.

<sup>2</sup> Horatius, Epod. 16. V. 5.

Aemula nec virtus Capuæ.

Lucanus, L. 1. v. 120.

Stimulos dedit æmula virtus.

Columella, L. 5. C. 6. circa med. *Ne æmula umbræ viti nocent.*

<sup>3</sup> Virgilius, Aen. L. 4. v. 641.

Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili.

L. 9. V. 377.

Nihil illi tendere contra,

Sed celerare fugam in silvas.

<sup>4</sup> Vorstius de Latinitate fallò suspectâ, Cap. XVI. *Quòd hodierni Galli revenir dicunt, non putandum vocem revenire inde ortam esse: sed è contrario gallicum revenir ex vetere latino revenire originem trahit.*

<sup>5</sup> Cicero, de Nat. Deor. L. 2. C. 54. *Dentibus manditur; atque ab his extenuatur & molitur cibus.* Dentes hinc molares dicti.

Pulchre fatullum <sup>6</sup> dulcis excipit sopor.  
 Rerum at colores orta lux ubi retulit,  
 Expergefactus, & oculos circumferens,  
 Hui! fallor, inquit, an hoc idem aspicitur solum,  
 Quod speveram? herba hæc fuavis quo facta est modo?  
 Respondit senior: Ex labore scilicet  
 Collecta cœnam condit <sup>7</sup> infuavem fames.

## F A B U L A X.

*Gallina & Ova Crocodili.* <sup>8</sup>

O V A crocodili <sup>9</sup> Gallina olim reperit,  
 Et incubavit <sup>1</sup>, dum fetus excluderet:  
 At illi vitâ vix incœperunt frui;  
 Altricem diris enecârunt morsibus.

Malum sibi fovet, quisquis educat malos.

<sup>6</sup> Varro de re rust. Lib. II. Cap. II. non longè ante fin. *Hoc item faciunt mane, antequàm matres in pabulum exeant, ut agni fatulli fiant lacte.*

<sup>7</sup> Cicero, de finib. bon. & mal. L. II. Cap. XXVIII. *Socratem . . . audio dicentem, cibi condimentum esse finem.*

<sup>8</sup> Le Noble, Fab. LXXXVIII. Æsopus, Fab. CXVII. Faernus, Fab. LXXXIX.

<sup>9</sup> Plinius, Hist. L. 8. C. 25. de Crocodilo: *Parit ova, quanta anseres.*

<sup>1</sup> Idem Plinius ibid. *Ova . . . incubat.* Varro, de re rust. L. 3. c. 9. *Ova incubare . . . Ova quæ incubantur.* Idem Plinius, L. II. c. 16. *nisi incubavere.* L. 10. c. 62. *Ceteræ serpentes contacta ova in terrâ incubant.*





## FABULA XI.

*Vulpis & Rubus.* <sup>2</sup>

AGITATA <sup>3</sup> Vulpis cum periculo, in Rubum  
 Densum, asperumque se conjecit; & canes  
 Elusit: & cùm pungeretur sentibus:  
 Etiamne, dixit, qui me servant, fauciant?  
 At faucient, dum servant: Nam didici malum  
 Ferendum esse leve, ut evitetur maximum.

## FABULA XII.

*Piscator & Thunnus.* <sup>4</sup>

PISCATOR olim totam qui consumpserat  
 Multo diem labore, nihilque ceperat,  
 Litus repetebat tristis, cùm subito in scapham  
 Thunnus, inimicum dum fugit piscem, infilit:  
 Quem capiens: Longus efficere, ait, quod labor  
 Non potuit, id fortuna quàm citò efficit!

<sup>2</sup> Le Noble, Fab. CLXXIX. Gabrias, Fab. VIII. Camerarius, Fab. CCCLXIX. P. Targa. Fab. 61. Verdizotti, pag. 257.

<sup>3</sup> Horatius, L. 2. Od. 13. V. 39.  
 Nec curat Orion leones  
 Aut timidos agitare lyncas.

*Excitare & agitare* sunt verba venatica. Vid. Cic. de offic. L. 3. c. 17.  
<sup>4</sup> Æliopus, Fab. XVII.



## FABULA XIII.

*Delphinus & Simius.* 5

MELITÆA 6 Athenis jam propinquabat ratis:  
 Exorta subito dira tempestat eam  
 Fregit; pontoque dissipavit. Hoc videns,  
 Misertur, & quoscumque Delphinus potest,  
 Juvat, rapitque ab undis homines naufragos,  
 Terræque reddit: quos & inter, non satis  
 Discernens genera, Simium in dorso levat.  
 Hunc dum vehebat, quâ domo esset, quæsit:  
 An Atheniensis? Sum, inquit, ipsâ scilicet  
 In urbe mediâ natus; & mihi sunt quidem  
 Parentes primi civium. Ergo tu probè  
 Piræum nosti? Sic, ait, nemo ut magis;  
 Amicum quippe, sanguine & junctum mihi.  
 Hic autem portum Simius nimis loquax  
 In hominem vertit. Quod simul sensit, caput  
 Reflexit, erroremque Delpinus suum  
 Intelligens, remisit in aquas bestiam.  
 Sibi ipsa semper vana loquacitas nocet.

5 La Fontaine, Lib. IV. Fab. VII. Benferade, Fab. CXVI. Æsopus,  
 Fab. LXXXVIII. Faernus, Fab. XXXVI.  
 6 Plinius Hist. Lib. III. Cap. ult. *Melita*, unde *Catulos melitatos* ap-  
 pellari *Callimachus* auctor est.









## F A B U L A X I V.

*Fures & Gallus.* <sup>7</sup>

CUM Fures captum dedere pararent neci  
 Gallum; rogabat ille, se ut dimitterent,  
 Hominibus quippe qui didicerit utilem  
 Dare operam; & ipsos ante lucem fuscitet  
 Opus ad diurnum. At illi: Tu tantò <sup>8</sup> magis  
 Moriere; quòd sic nos furari vix finis.

Nemo placere bonis & malis simul potest.

## F A B U L A X V.

*Corvus, Asellus & Agaso.* <sup>9</sup>

IN prato Afellus dum tranquillè pascitur,  
 Exulceratum in ejus dorsum devolat  
 Corvus, tunditque rostro sauciam cutem.  
 Rudit ille, saltat; nec potest depellere  
 Volucrem importunam; tamque lepidos sic jocos  
 Præbet, ut Agaso non modò ipse bajulo  
 Suo infelici non ferat opem; at rideat.  
 Afellus advertit, & acerbiùs hinc dolens:  
 Meum, heu! malum, inquit, bis mihi videor pati,  
 Quòd ridit ille, ferre opem qui debuit.

<sup>7</sup> Richer, Lib. VIII. Fab. IX. Æsopus, Fab. XCVII.

<sup>8</sup> Terentius Andr. Act. IV. Sc. IV. V. 35.

Suam gnatam non dabit? tantò hercle magis dabit.

<sup>9</sup> Æsopus, Fab. CXV. Faernus, Fab. LXXXIX.



## F A B U L A X V I.

*Amnis & Fons.* <sup>1</sup>

E X quo trahebat fonte originem suam,  
 Hunc sprevit Amnis: vix exili murmure  
 Scaturientem audiri, & inter herbulas  
 Tenuem, ac egenum delitescere dicitans;  
 At se per populos, urbesque celeberrimas  
 Fragore magno volvere fluctus suos.  
 Sensit superbum: & : Nostra, Fons inquit, nisi  
 Sufficeret & urna, quod tibi nomen daret,  
 Superbiendi quis tibi jam esset locus?

Fabella eorum damnat insolentiam,  
 Suae qui auctores dignitatis vituperant.

## F A B U L A X V I I.

*Culex & Taurus.* <sup>2</sup>

I N cornu Tauri parvulus quondam Culex  
 Confedit; seque dixit, mole si sua  
 Eum gravaret, avolaturum illico.

At ille: Nec te confidentem fenseram.

Dictum sit illis, qui se, cum sint futiles,  
 Magni tamen esse ponderis viros putant.

<sup>1</sup> Benferade, Fab. CLXXXIV. Bourfaul Comœd. Æsop. II. Act. III. Sc. IX. Abstemius, Fab. LVII.

<sup>2</sup> Richer, Lib. II. Fab. VIII. De la Motte, Lib. I. Fab. XIII. Æsopus, Fab. CCXVII. Tanaq. Faber ex arabico Locman, Fab. XIII. Burmannus append. ad Phœdr. Fab. XXXI.





## FABULA XVIII.

*Simia & Nux.*

ADHUC virenti <sup>3</sup> cortice obductam Nucem  
 Cùm reperisset Simia, ipsam mordicus  
 Decorticare coepit; &: Gravis quidem  
 Amaritudo est hujus, inquit, corticis;  
 At nucleus tantò dulcior mihi accidet.

## FABULA XIX.

*Sus opima.* <sup>4</sup>

FORTE in culinam Sus se opima contulit;  
 Ibique pernas <sup>5</sup>, larda, botulos, dum videt;  
 Hæc sunt Suilla, dixit; & abiit gemens.

Placere nulla conditio felix potest,  
 Cujus odiosus prævidetur exitus.

<sup>3</sup> Flavius Charisius Sospater, Institutionum gramaticarum Lib. I. pag. 101. Edit. Putschii, an. 1605. in 4to. *Verrius Flaccus, inquit Plinius* (sic pronuntiat) *Eorumquæ NS finiuntur casu nominativo, ablativus in E dirigendus est.* Qui sit hic Plinius, qui ista retulerit, nescio; at Verrium, scriptorem eruditum, ita unquam pronuntiasse, minimè credo: nam solus Virgilius ipsi contradicit locis, si bene numeravi, tribus & octoginta. Mirari itaque satis non possum, quòd Rich. Bentleius, commentario in Horat. L. I. od. 25. v. 17. ineptissimam hanc regulam obtrudere nobis voluerit.

<sup>4</sup> Camerarius, Fab. CCLXXVI.

<sup>5</sup> Horacius, L. 2. Sat. 2. v. 117.

Fumosæ cum pede perne.

Ovidius, fast. L. 6. V. 169.

Pinguia cur illis gustentur larda kalendis.

Festus: *Botulus genus farciminis.* Martialis, L. 14. Epig. 72.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ.



## F A B U L A   X X .

*Cera & Later.* <sup>6</sup>

C E R A invidabat Lateri duritiem suam;  
 Quam comparari ab ignium violentiâ  
 Cùm comperisset, se ipsa in ignes dejicit:  
 At misera penitùs liquitur, & consumitur.  
 Quod uni prodest, alteri sæpe id nocet.

## F A B U L A   X X I .

*Lupus & Mulus.* <sup>7</sup>


M U L U M statuerat aggredi inventum Lupus;  
 At nomen ejus scire cùm vellet priùs:  
 O ! <sup>8</sup> qui vocaris, inquit? Istud me quidem  
 Latet <sup>9</sup>, ait Mulus; audire memini tamen  
 A matre, nomen esse mihi scriptum pedis  
 In ipsâ dextri posterioris unguâ;  
 Quod scire si vis, accede hùc, legas licet.  
 Lupus legendi gratiâ cùm accederet,  
 Pedem ille dextrum posteriorem sustulit,

<sup>6</sup> Abstemius, Fab. LIV. Camerarius, Fab. CCCXIX.

<sup>7</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. VIII. & Lib. XII. Fab. XVII. Camerarius, Fab. CCXXXV. Menagius, Fab. V. Jafus, Tom. II. pag. 148.

<sup>8</sup> Vide Terent. Adelpi. Act. V. Sc. VI. V. 3.

<sup>9</sup> Non audiendus est Scioppius, dum in infamiâ Famiani pag. 104, non magis latinum esse *latet me* quàm *patet me*. contendit, & hunc esse solœcismum disertè pronuntiat. Vide Varron. de re rust. Lib. I. Cap. XL. Virg. Æn. Lib. I. V. 134. Ovid. fast. Lib. V. V. 361. Plin. Hist. Lib. II. Cap. XX.



Hujusque fronti, quantâ vi potuit, simul  
 Impegit, ac semianinem prostravit solo.  
 Lupus ad se tandem vix reversus: Heu! mali  
 Quantum creavit stulta curiositas,  
 Dixit lamentans, & boni quantum abstulit!

## FABULA XXII.

*Fluvii duo, alter perstrepsens, alter silens.* <sup>1</sup>

AD Fluvium magno perstrepsentem murmure  
 Quidam viator cùm venisset, restitit,  
 Timuitque: sed mox ausus est tamen vadum  
 Tentare; & undas mirans altitudine  
 Carere, ripam facilè ulteriorem attigit.  
 Ad alium deinde Fluvium pervênit, suos  
 Lentè, & quietè fluctus qui provolveret:  
 Hunc, inquit, pertransire, minimus est labor  
 Tam lenem, tamque pacificum; ab isto altero  
 Rapido, & irato tam facilè cùm evaserim.  
 Simul hæc locutus intrat; & absorbet simul  
 Ipsum profunda vorticis malignitas.

Diffide, si quis taceat infensus tibi:  
 Pleni minarum longè metuendi minûs.

<sup>1</sup> Camerarius, Fab. CCXC.





## F A B U L A   X X I I I .

*Pica & Columba.* <sup>2</sup>

C O L U M B A M Pica interrogâsse dicitur ,  
 Cur ova eodem poneret <sup>3</sup> semper loco ,  
 Hinc pullos non ignara semper abripi.  
 Respondit illa : Sic soleo videlicet ,  
 Aliterque facere simplicitas me non finit.  
 At Pica : Stulta est ista simplicitas , ait ,  
 Noto ex periclo quæ non fit prudentior.

## F A B U L A   X X I V .

*Avarus & ejus Filius.* <sup>4</sup>

E X I M I A poma Avarus in domûs suæ  
 Secretiori parte collocaverat ;  
 At nulla , nisi quæ tabida inficeret lues ,  
 Suam inde permittebat in mensam extrahi.  
 Quod ejus postquàm Filius graviter ferens  
 Objecit frustra , denique invênit viam ,  
 Pomorum in ipsum quâ penetraret horreum :  
 Etiamque amicos unum & alterum sibi  
 Comites adjunxit. Optima nempe , quot licet ,  
 Poma hi capeflunt. Factum rescivit Pater ,  
 Succensuitque Filio damnum exprobrans :

<sup>2</sup> Abstemijs , Fab. VI.<sup>3</sup> Ovidius , metam. L. 8. V. 58.

Propter humum volitat ; ponitque in sepibus ova.

<sup>4</sup> Abstemijs , Fab. CLXXIX.

Qui rem confellus ultro: Quid damni tibi  
Intulimus, inquit? poma tantum putrida  
Tu comedis; integra sola nos comêdimus.  
Nil perdit, id qui amittit, quo uti nesciat.

## F A B U L A X X V.

*Arbores.* 5

R E C T Æ, & proceræ contemnebant Arbores  
Unam inter ipsas, torta quòd, & humilis foret:  
Lignarius autem cùm venisset hùc faber,  
Cæduntur omnes illæ; at hæc relinquitur.  
Minimi fuisse pretii, multis profuit.

## F A B U L A X X V I.

*Edera & Agricola.*

F R U T I C A B A T Edera, frondibus<sup>6</sup> que humum suis  
Tegere contenta<sup>7</sup>, non audebat altiùs

5. Abstemijs, Fab. XII.

6 Edera est frutex; immo, ut ait Plinius, Hist. L. 16. c. 34. *Tantâ crassitudine augetur, ut ipsa arbor fiat.* Hinc vasa ederacea. Plenumque tamen serpit, si non sustineatur. *Hæc porrò annotavi, ut ne contempsisse viderer censuram hanc Laur. Vallæ, Elegant. Ling. Lat. L. 4. C. 66. (aliàs. 73.) Frondes arborum sunt tantum: folia autem arborum & herbarum, & florum quoque.* Quam censuram Rob. Stephanus, ejusque emendator Ant. Birrius, & Basil. Faber comprobârunt: quanquam est, ut planè & latinè loquar, vel spernenda illa, vel auctoritas Plinii repudianda: is enim, Hist. L. 19. C. 5. raphanorum genera explicans: *Vnum, inquit, silvestre. . . fronde copiosius, quàm corpore.* & C. 6. *Gethyon (cepæ genus) pæne sine capite est, cervicis tantum longæ, & ideo totum in fronde: sæpiusque refecatur, ut porrum.*

7 Quintilianus, Instit. Orat. L. 5. c. 13. *Hæc breviter demonstrasse contentus.* Ovidius, Trist. L. I. Eleg. 9. v. 5.

Nec comites volucris contenta est vincere cursu.



Erigere sese, & proximam sibi arborem  
 Amplecti, & excelsa adminicula persequi:  
 Sed rapere spatium properabat, quàm maximum  
 Poterat, avaris hinc & inde lapsibus,  
 Ita, ut feracis hortuli partem bonam  
 Malè occuparet. Quod animadvertens, statim  
 Evellere malam funditus plantam incipit  
 Agricola prudens. Illa tum: Nostras, ait,  
 Temerare frondes, barbarus quis te furor  
 Impellit? contine, oro, violentas manus;  
 Parce immerentem abolere natali solo,  
 Ubi pullulantes humilis inferno comas,  
 Inglorioque simplex otio fruor,  
 Nec noceo quidquam. At ille: Sed prodes nihil;  
 Meoque in horto quod nihil prodest, nocet.  
 Atque hæc locutus, instat diligentius  
 Perpurgare omnem stirpibus malis locum.  
 Ad otiosos cives fabula pertinet.


## FABULA XXVII.

### *Piscis fluviatilis & Pisces marini.*

**T**ORRENTE raptus & alveo fluviatilis  
 Marina Piscis subierat fortè æquora:  
 Occurrit incolarum turba, & advenam  
 Hortantur omnes, regna Neptuni velit

& Virgilius, Georg. l. I. v. 203.

Atque illum in præceps pronò rapit alveus amni.



Incolere fecum. Nimiam is undarum objicit  
 Amaritudinem: illi contra se negant  
 Sentire tale quidpiam. Vestrum malum  
 Ne sentiatis, inquit, ipsa pravitas  
 Gustûs, & ipsa afluétude mali vetant.

Civilibus undis maxima pars mortalium  
 Immerfa, fluctus inter amaros volvitur,  
 Bis misera, se miseram esse si non senserit.

## FABULA XXVIII.

*Bubulcus & Hercules.* 9

CURRUM sibi videns penitus hæfisse in viâ  
 Bubulcus auriga, invocavit Herculem  
 Queribundus; expectansque, dum auxilium Deus  
 Afferre vellet, otiosus restitit,  
 Adfuit, inertemque Hercules hominem volens  
 Corrigere: Lapidem hunc, inquit, obstantem ejice;  
 Limum hunc tenacem comminue; humero hanc rotam  
 Impelle, sublevaque: punge nunc boves.  
 Hui! plaustrum volvitur! Ergo memineris Deos 1  
 His opitulari, qui admovent operi manum.

9 La Fontaine Lib. VI. Fab. XVIII. Avienus, Fab. XXXII. Faernus,  
 Fab. XCI. Camerarius, Fab. CCCLIX.

1 Varro de re rust. Lib. I. Cap. I. *Dei facientes adjuvant.*



## FABULA XXIX.

*Simia, Porcus & Vulpis.*

SUAVES, tenellos foetidis Porci auribus  
 Simia jocando flores alligaverat:  
 Hinc stolidus ille factum se bellum putans,  
 Sibi placebat, & videbatur sibi  
 Dignus profectò, qui placeret omnibus;  
 Simulque ineptis tripudiabat <sup>2</sup> motibus.  
 Quod fortè Vulpis cùm videret, sic eum  
 Monuisse fertur: Quam ipsa turpem finxerit  
 Natura formam, ornatus hanc si splendidus  
 Illustrat, auget ipsam turpitudinem.

## FABULA XXX.

*Leo & Musculus.* <sup>3</sup>

LEONIS olim dormientis per jubar  
 Lasciando cùm excurrisset Musculus;  
 Cùmque excitatus ipsum cepisset Leo:  
 Veniam is rogavit imprudentiæ daret;

<sup>2</sup> Male primam syllabam in *tripudiare* longam fecit Fortunatus, Lib. VIII. Carm. 4. V. 4.

Creditur & sacro tripudiare gradu.  
 Nam Catullus, Carm. 62. de Atty. V. 26.

Quò nos decet citatis celerare tripudiis.  
 Cujus versùs quintam sedem occupat dactylus, ultimam anapestus.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. X. Benferade, Fab. XVI. Æsopus, Fab. CCXXI. Gudius append. ad Phædr. Fab. IV. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I. pag. 743.





Eamque facilè misericors Leo dedit;  
 Pecudem necare quippe tantulam pudet.  
 In retia ille paulò post fortè incidit;  
 Quibus expedire cùm se, frustra perfurens.  
 Nequiret, rudere <sup>4</sup> coepit immanem in modum.  
 Audit, simulque proximo è cavo exilit  
 Musculus; &: Adsum tibi, ait, beneficii memor:  
 Statimque teretes dente corrodit plagas,  
 Maculasque solvit, & Leonem liberat.  
 Gratia referri ab infimis etiam potest.

## FABULA XXXI.

*Asellus onustus Sale deinde Spongiis. 5*

VIDE, quidquid agis, an res conveniat loco;  
 Nam multa, quæ fecisse quondam juverit,  
 Post vicibus immutatis si fiant, nocent:  
 Frustraque dictum ne sit, exemplum dabo.

Cùm fluvium Asellus transisset onustus Sale,  
 Et, in aquas dorsum demittens, aliquandiu  
 Jacuisset, onere se levatum senserat:  
 Ergo aliquot ille post diebus hùc iter  
 Dum facit onustus Spongiis, similem sibi


<sup>4</sup> Virgil. Æn. Lib. VII. V. XVI.

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum

Vincla recusantum, & ferâ sub nocte rudentum.

*Rugire* autem de Leonibus dictum apud idoneum nullum Latinitatis auctorem inveni.

<sup>5</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. X. Benferade, Fab. CLXXIX. Æsopus Fab. CCLVIII. Faernus, Fab. VI.



Eventum sperat; & decumbit: at graves,  
Aquâ subeunte, Spongiæ miserum opprimunt.

## FABULA XXXII.

*Cucurbita & Arbor.* <sup>6</sup>

CREVERAT adhærens Arbori Cucurbita,  
Ejusque trunco & ramis sustinentibus,  
Evecta fuerat, magnam in altitudinem.  
Hinc gloriatur, & etiam præ se, impudens,  
Contemnere audet hanc, sine quâ reperet humi:  
Quot, inquit, annos expectare oportuit,  
Donec ea caperet magnitudinem suam!  
Ego autem evasi tanta paucis mensibus.  
At olitor illuc paulò post cum accederet,  
Factam fuisse maturam Cucurbitam,  
Ejusque stirpem exaruisse jam videt;  
Deducit ergo hanc, & reluctantem licet,  
Seque implicantem ramis, in solum trahit.  
Citò emerfisti? ne citiùs recidas, time.

## FABULA XXXIII.

*Lepus & Testudo.* <sup>7</sup>

TARDIS euntem passibus Testudinem  
Vidit, superboque Lepus aggrediens joco:

<sup>6</sup> S. Cyrillus, Lib. III. Fab. IV. Camerarius, Fab. CCLXXIV. Com-  
mirius, Tom. 1. pag. 316. Edit. 1714.

<sup>7</sup> La Fontaine, Lib. VI. Fab. X. Benjérade, Fab. LXXVII. Æsopus,

Tam propera, dixit, quò tuam portas domum?  
 Quid si, inquit illa, pedibus me dicam tibi  
 Præstare? Totis hìc enimverò artubus  
 Lepus exilire: & : hanc, ait, tuam mihi  
 Expromme celeritatem; meque, si potes,  
 Assèquere. Id, inquit Tardipes, ego ac lubens  
 Experiar; ateninm præsignemus terminos,  
 Statuamusque simul, quo certemus pignore.  
 Utrique postquàm jurata <sup>8</sup> est conventio <sup>9</sup> :  
 Age tu porrò, avibus <sup>1</sup> i bonis, inquit Lepus,  
 Ego dum quietus hìc jaceo, & obdormio.  
 Testudo pergìt interim, & ipsâ diligens  
 In tarditate, lento festinat gradu;  
 Demumque victrix occupat metam viæ.  
 Tunc Lepus evigilat, & cursu rapido volans,  
 Priorem hanc pervenisse nequicquam dolet.  
 Dotibus eximiis, unde abest prudentia.  
 Prævalet, ubi etiam solus est, prudens labor.

## FABULA XXXIV.

*Jupiter, Modestia & Virtutes ceteræ.*

VARIAS Virtutes cùm creâsset Jupiter,  
 Quæ dulces homini & utiles comites forent,

Fab. CCXCII. Locmanus, Fab. XX. Jaius Biblioth. Rhet. Tom. I.  
 pag. 744. cujus verba non pauca retinimus.

<sup>8</sup> Lucanus, Lib. 8. v. 218.

Si foedera nobis

Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem.

<sup>9</sup> Seneca, de Provid. C. 2. extr. *Fortis & egregia Fati* conventio. De  
 Irâ, L. 3. C. 26. extr. *Mutua facilitatis* conventio.

<sup>1</sup> Ovidius, Metam. L. 15. v. 640.

Produxit ultimam omnium Modestiam:  
 At ipsi in homine nulla jam sedes erat  
 Idonea, quam non de <sup>2</sup> Sororibus suis <sup>3</sup>  
 Aliqua occupâsset. Quod animadvertens: Tibi  
 Nullam quidem, inquit Jupiter, sedem licet  
 Habere propriam, his ceteris qualem dedi:  
 Sed istæ quoties emicare cœperint,  
 Te simul adesse jubeo; ne quid audeant,  
 Quod non tuo ipsa more blando temperes.  
 Hinc usque laude verâ Virtutes carent,  
 Quibus Modestia pretium non addidit.

Ite bonis avibus; prolemque arcessite nostram.

<sup>2</sup> Cicero de Legib. Lib. III. Cap. VII. *Puto posse, & quidem aliquem de tribus nobis.*

<sup>3</sup> Hoc, ni fallor, planum est, & facile intellectu: verumtamen, ut ne quis frustra objiciat scribendum à me fuisse non *juis*, sed *ejus*, vel *illius*, exempla Veterum, & similibus aliis permultis delecta subijciam. T. Livius, L. 2. C. 61. *Et plebem, & suum* (plebis) *judicium pro nihilo Habebat.* Corn. Nepos, L. 5. C. 3, de Cimone: *Incidit in eandem invitiam, quàm pater suus.* L. 6. c. 1. de Lysandro: *Non virtute sui* (Lysandri) *exercitus sed inmodestâ factam est adversariorum.* L. 23. C. 8. de Annibale: *Cum multitudinem sui* (milites Annibalis) *superarentur: ipse quo cornu rem gessit, fuit superior.* Cicero, Orat. in Anton. 4. c. 2. *Quod autemerat præsidium salutis, libertatis que vestræ, si C. Cæsaris, fortissimorumque sui* (ejusdem Cæsaris) *pâtris militum exercitus non fuisset?* Ad Attic. L. 5. Epist. 26. *In quibus* (Literis Bruti) *unum alienum summâ juâ* (ejusdem Bruti) *prudentiâ: idem illud, ut spectem Ludos suos.* De fin. bon. & mal. L. 2. c. 30. *Quæsiuit* (Epaminondas) *salvusne esset clypeus: cum salvum esse fentes sui* (milites ipsius) *respondissent; rogavit, essentne fusi hostes.* Virgilius, Aen. L. 4. v. 632.

Tum breviter Barcen nutricem adfara Sichæi:

Namque suam patriâ antiquâ cinis ater habebat.

*Suam*, id est ipsius Didonis. Laur. Valla memorat hunc locum in opusculo de reciprocatione sui & suis, c. 5. & regulis Grammaticorum esse contrarium fatetur; atque: *Si Virgilium inquit, damnamus, tantum virum, & poetarum latinorum longè principem, quis ferat? . . . Sed vel poeticam licentiam excusandam reor, vel operis* (Aeneidos) *imperfectionem.* Commentus hæc Valla non fuisset, si attendisset ad exempla Livii, Nepotis, & Ciceronis, in quibus certè nullam, neque *licentiam poeticam*, neque *Operis imperfectionem excusandam* invenisset.



## FABULA XXXV.

*Caseus & Felis.* <sup>4</sup>

IN cellâ opimum cùm posuisset Caseum  
Rusticus; inesse murem, qui corroderet,  
Advertit: ideo misit hùc Felem. At simul  
Captum illa murem, Caseumque devorat.

Ad vindicanda damna si improbos legas,  
Plerumque gravius hi tibi damnum dabunt <sup>5</sup>.

## FABULA XXXVI.

*Lupi fides.* <sup>6</sup>

FORE ut jam nullis vesceretur carnibus;  
Sed herbas, aut ad summum pisces manderet,  
Laqueo prehensus olim cuidam Rustico  
Dixit, spondit, jerejurando Lupus  
Fidem obligavit, & sic evasit necem.

Hinc se dum recipit in nemus, porcum videns  
Paludis atro se volutantem vado:

Hic, inquit, certè piscis est; & eum vorat.

Malè agere qui vult, nusquam non causam invenit

<sup>4</sup> Le Noble, Fab. XXI. Abitemius, Fab. CXVI. Camerarius, Fab. CDXL.

<sup>5</sup> Terentius, Andr. Act. I. Sc. I. v. 116.

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

<sup>6</sup> Camerarius, Fab. CDLIX.





## F A B U L A   X X X V I I .

*Vulpis & Ericius.* <sup>7</sup>

SUPERBA Vulpis dixit olim Ericio <sup>8</sup>,  
 Pollere centum se artibus, quas omnium  
 Adhibere sciret hostium contra dolos;  
 Eumque sprevit, unam qui se diceret  
 Callere tantum. Paulò post venatici  
 Hùc advolârunt, prædam odorati, canes.  
 Ericius artem tunc recurrit ad suam:  
 In orbem rite convolvit corpusculum,  
 Suisque spinis undique tegit, & impetus  
 Eludit hostium: omni se periculo  
 Ubi liberavit, prospicit; & Vulpem videns  
 Urgeri à canibus, apprehendi denique:  
 Huccine, ait, recidis cum tuis centum artibus?  
 O quantò potior una, si sit optima?

## F A B U L A   X X X V I I I .

*Olitor & Sepes.* <sup>9</sup>

I STA, inquit Olitor, cur Sepes terram occupat  
 Sterilis? quin evello, spatiumque olusculis  
 Amplifico? Dixit; incipitque evellere,  
 Hortumque furibus omnem pervium facit.

<sup>7</sup> La Fontaine, Lib. IX. Fab. XIV. Benferade, Fab. LXX. Camerarius,  
 Fab. CCCXCIV. Jaius, Tom. I. pag. 241.

<sup>8</sup> De Ericio, vide notam ad Fab. V. Lib. I.

<sup>9</sup> Abstemius, Fab. CLXXXIX.



Prudentia nimis anxia aliquando malum  
Arcessit ingens, damnum ut avertat leve.

## FABULA XXXIX.

*Alba-Spina & Ficus.* <sup>10</sup>

AMICTA nitidis Alba-Spina flosculis,  
Cum se jactaret, & Ficum contemneret,  
Ornatam solâ viriditate frondium:  
Sic illa retudit ejus arrogantiam:  
Florere me Natura non voluit quidem;  
Sed simul ac tempus autumnale venerit,  
Homines accedent ad me onustam fructibus,  
Quos regibus ipsis apponent, videlicet  
Succo refertos optimo, & suavissimo,  
E despiciatis <sup>1</sup> fetibus interim tuis  
Aliquot egentes aviculæ victum petent.

Quam multa flores quæ tulerant pulcherrimos,  
Ingenia fructus aridissimos <sup>2</sup> ferunt!

<sup>10</sup> S. Cyrillus, Lib. II. Fab. XXIII.

<sup>1</sup> Terentius, Eun. Act. 2. Sc. 3. v. 91.

Nos, nostramque adolescentiam

Habent despiciatam.

Cicero, Orat. pro Sextio, C. 16. *Cessi Tribuni plebis, despiciatissimi hominis, furori.*

<sup>2</sup> Auctor Dialogi de Oratorib. Cap. XIX. *Quidquid aridissimis Hermagoræ, & Apollodori libris præcipitur, in honore erat.*





## F A B U L A XL.

*Sol & Noctua.* <sup>3</sup>

SOLI, quòd ejus suffinere Noctua  
Radios non posset, fecerat convicium :  
Non me, sed oculos, Sol ait, culpa tuos.

Cæcus, & ineptus despicit si quis bonam  
Antiquitatem, nostra fabella hunc monet.

## F A B U L A XLI.

*Amygdala & Pyrus.* <sup>4</sup>

CUM se videret innumeris Amygdala  
Floribus opertam, sibi plaudebat, & Pyrum  
Spernebat; ut quæ germina vix protruderet.  
Sed, fraudulentâ qui recesserat fugâ,  
Aquila revertens flores hujus abstulit,  
Spemque simul omnem fructuum disperdidit.

Tenera monentur ne properent florescere  
Ingenia, ad frugem <sup>5</sup> pervenire si velint.

## F A B U L A XLII.

*Agricola & Arbores.*

AGRICOLA quidam, recto quas digesserat  
Ordine, novellas educabat Arbores :

<sup>3</sup> Camerarius, Fab. CD.

<sup>4</sup> De la Motte, Lib. IV. Fab. II.

<sup>5</sup> Quintilianus Institut. Lib. I. Cap. III. *Illud ingeniorum velut præcox genus non temere unquam pervenit ad frugem.*



Quarum una, cæcis obsecuta motibus  
 Male subeuntis fucci, abibat paululùm  
 Diverfa ab aliis. Monitus est, ut indolem  
 Vitiosam vinclis ocyùs compesceret.  
 At, inquiebat, nulla nos ratio jubet  
 Adhibere tam severam diligentiam:  
 Et adhuc tenellam vincla forsàn læderent.  
 Expectat igitur: interim crescit malum,  
 Et invalescit: tunc voluit, at ferius,  
 Corrigit, factum quippe robustum <sup>6</sup> nimis.

Fabella pueros, ni citò cavetur, docet  
 Evadere malos facilè & insanabiles <sup>7</sup>.

## FABULA XLIII.

*Catellus, Ovis & Cuniculus.*

CUNICULUS, Ovis & Catellus venerant  
 In campum eundem: sed diverfa singulis  
 Causa veniendi fuerat: nam genio suo  
 Catellus indulgere quæsiit, & leves  
 Captare lusus: simplex autem se Bidens

<sup>6</sup> Cicero, Philipp. V. Cap. II. *Omne malum nascens facilè opprimitur, inveteratum sè plerumque robustius.*

Ovidius, Remed. Amor. V. 91.

Principiis obita: serò medicina paratur,  
 Cùm mala per longas invaluère moras.

Quintilianus, Institut. Lib. I. Cap. III. *Frangas enim citius, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt.*

Virgilius Georg. Lib. II. V. 272.

Adèd in teneris consuescere multum est!

<sup>7</sup> T. Livius, L. 28. C. 25. *Nihil tristius, nec insanabilius.* Seneca, de Ira, L. 3. C. 41. *San insanabilis est.*



Ad decerpenda contulit, si quæ sibi  
Bona viderentur pabula: at Cuniculum  
Fodiendi terram cupiditas traxit mala.  
Triplex notatur hîc mihi lectorum genus.





FABULARUM  
ÆSOPIARUM  
LIBER SEXTUS.



PROLOGUS.



MERFUS ergo fabulæ afferunt <sup>1</sup> sibi,  
Devinciuntque mitibus ductum jocis.  
Lubens, meritóque tale scribendi genus  
Sequor: exhibet enim candidos, lepidos fales,  
Habetque prætereà utilitatis plurimum,  
Unde simul horum, qui me rectè legerint,  
Et meamet ipsa vita fiat doctior.  
Namque licèt, ut plerique mortales solent,  
Meam quoque ipse manticam <sup>2</sup> in humeris geram;

<sup>1</sup> Quintilianus, *Inst. Orat.* l. 4. C. 2. *Abdicatum a divite juvenem  
& absolutum, tanquam suum filium* asserit. Q. Curtius, l. 8.  
C. 1. *Jovis, quem patrem sibi Alexander* assereret &c. Ovidius,  
*Metam.* l. 1. v. 761.

Ede notam tanti generis, meque asserere Cælo.

<sup>2</sup> *Catul. Carm.* 22. v. 20.

Suus cuique attributus est error:

Sed non videmus, manticæ quod in tergo est.  
*Horat. Lib. II. Sat. 3. v. 299.*

Respicere ignoto discet pendentia tergo,

Sæpe tamen ante pectus propono mihi  
 Utramque peram, ne vitia tantummodò  
 Aliena spectem, oblitus in tergo alteram  
 Esse mihi peram propriis vitiis gravem :  
 Neque liberalem <sup>3</sup> hunc esse cenforem puto,  
 Qui, dum castigat alios, ignoscit sibi.  
 Ergo generatim quæ ponuntur omnibus  
 Documenta, capere singulatim nos decet,  
 Sibi prout quisque convenire intelligit.

Sed, ut erunt paulò tristiora forsitan  
 Exempla, si quis illa judicaverit  
 Ad se attinere, & , asperam graviter ferens  
 Reprehensionem, doluerit; ne mutiat,  
 Suadebo; at potius sapiat edoctus; nisi  
 Suam ipse malit prodere turpitudinem.  
 Hunc denique tamen oro multùm, & obsecro,  
 Ut mentis <sup>4</sup> erga quemlibet affectu malo  
 Prorsus alienum existimare me velit;  
 Quippe <sup>5</sup> quia vivo mihi prope uni cognitus :  
 Nullumque novi ex istis terræ filiis,

Phædr. Lib. IV. Fab. VIII.

Peras imposuit Jupiter nobis duas :  
 Propriis repletam vitiis post tergum dedit :  
 Alienis ante pectus suspendit gravem.

<sup>3</sup> Terentius, Adel. Act. 3. Sc. 4. v. 17.

Neque boni,

Neque liberalis functus officium est viri.

Phorm. Act. 5. Sc. 7. V. 12. de homine, cujus laudatur fides :

Estne ita, ut dixi, liberalis?

<sup>4</sup> Ovidius, Trist. L. 4. Eleg. 3. V. 31.

Nec dicere possum,


Affectum quem te mentis habere velim.

<sup>5</sup> Terentius, Heaut. act. 3. Sc. 2. v. 27.

quippe quia

Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est.

Plinius, Hist. L. 26. C. 10. Quippe quoniam sponte desit.



Regifica quorum prandia examen leve  
 Famelicumque Literatorum colit:  
 Neque sum receptus in Poetarum gregem,  
 Unde mihi, furtim se inferens, inoleverit,  
 Et efferbuerit acrior æmulatio;  
 Tum mentis ægritudo, livor postea,  
 Demum simultas, & odium coaluerint.  
 Sed inhonoratus invidendam nemini,  
 Placidamque vitam solus in tenebris ago;  
 Ac fortè si quid calleo de moribus  
 Hominum, illud omne debeo unicè libris,  
 Quos consulere amo lector non indiligens.


## F A B U L A I.

*Villicus & Canis.*

VETULUM, factumque minùs idoneum gregi  
 Custodiendo, vel tuendæ <sup>6</sup> à furibus  
 Nocturnis domui, Villicus habebat Canem.  
 Ingratus, operam cujus utilem diu  
 Sibi fuisse meminit, hunc, fenio gravem,  
 Tardumque, morti devovere sustinet.  
 Ergo apprehendit, nec reluctanter: simul

6 Phædrus, L. 3. Fab. 7. v. 9.

Custos ut sis liminis,  
 A furibus tuearis & noctu domum.  
 Cicero, Orat. pro Deiot. C. 8, *Quibus fines suos ab excursionibus  
 hostium & latrocinis tueretur.* Ad famil. L. 3. Epist. 12.  
*Vides sudare me, jamdudum laborantem, quomodo ea tuear,  
 quæ mihi tuenda sunt.*



Coactos in fasciculum connectit pedes;  
 Lapidemque collo denique magnum subligat.  
 Sic exornatum protrahit, sub proximæ  
 Paludis undam detrusurus. At Senex:  
 Nam quid, here, dixit, facinoris feci miser,  
 Ut agas tam acerbè, tamque inhumanè; & meam  
 Tam longam servitutem sic remuneres?  
 Vim veritatis sentit herus: hanc opprimit;  
 Et fraudulentam comparat calumniam:  
 Ten' vivere, inquit, patiar ultra, quem tenet  
 Occulta rabies? moxque demersum necat.

Qui statuit aliquem perdere invisum sibi,  
 Si justa ratio nulla sit, falsam invenit.

## F A B U L A II.

*Ursus & Uxor ejus.* 7

DUM vult amoris mutui gratam vicem  
 Lepidis, venustis excitare lusibus,  
 Oculum revellit Ursus Uxori suæ:  
 Simulque violens proprii ultor criminis  
 Ungues scelestos sibi revellere incipit.  
 At illa moerens: Quid, ait, incassum furis?  
 Hoc facere decuit, me priusquàm tangeres:  
 Nunc & tibi nocet, & mihi prodes nihil.

Hæc fabula docet, facti poenitentiam  
 Seram esse, damno quæ mederi non potest.

## FABULA III.

*Boves & Lanius.* <sup>8</sup>

PLURIMI apud Lanium detinebantur Boves:  
 Accedit ille, unumque mactat. Ceteri,  
 Obsistere vellent, tot conjunctis viribus  
 Servare focium poterant; at contra impetum  
 Nil commoventur, dum se quisque decipit,  
 Similisque sperat cladis immunem fore.  
 Sic Lanius omnes, alios post alios necat.  
 Nullus alienum reputet homo hominis malum <sup>9</sup>

## FABULA IV.

*Aquila & Pavo.* <sup>1</sup>

DUM gaudet Aquila, turba quòd avium frequens  
 Ipsam esse dicat omnium pulcherrimam,  
 Pavo indignatur; nec tamen audet intimos  
 Aperire sensus, propter Reginæ metum <sup>2</sup>.  
 Sic ergo murmurat <sup>3</sup>: Istim pulchritudinem  
 Non pennæ, at unguis, & rostrum sibi arrogant.  
 Suspecta laus, quam summa potestas obtinet.

<sup>8</sup> Camerarius, Fab. CCXXVII.<sup>9</sup> Terent. Heautont. Act. I. Sc. 4. V. 25.

Homo sum: humani nihil à me alienum puto.

<sup>1</sup> Abstemius, Fab. CVII.<sup>2</sup> Id est quia, metuit Reginam. Vide notam ad Fab. 13. L. 15.<sup>3</sup> Varro, de Ling. lat. Lib. 5. pag. 57. Edit. Sciv. *Qui murmurat, ita leviter loquitur, quòd magis id sono facere, quàm ut intelligatur, videatur.* Ovidius, Metam. L. 11. v. 52. de Orpheo.

Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua

Murmurat exanimis, respondent flebile ripæ.



## FABULA V.

*Jupiter, Apollo, & Momus.* <sup>4</sup>

QUAM quisque nōrit artem, in hāc se excerceat. <sup>5</sup>  
 Proverbium illud antiquissimum novā  
 Placet, brevique comprobare fabulā.

Laudem canendi Apollo cūm propriam sibi  
 Haberet, hanc, invidiā motus, Jupiter  
 Præripere voluit; & peritiā ratus  
 Sæ prævalere posse: Uter meliūs canat,  
 Nunc experiamur, inquit, Momo iudice.  
 At Momus: Canat Apollo; Jupiter tonet. <sup>6</sup>

## FABULA VI.

*Puer Superbus.*

DUM celliore parvus in scamno Puer  
 Se jactat, & superbit, & humili loco  
 Stantem catervam despicit supereminens,  
 Unum de genere se gigantum credidit:  
 Et: Hæc videtur quàm minuta plebs, ait,

<sup>4</sup> Benferade, Fab. CCIX.

<sup>5</sup> Cicero Tusculan. Lib. I. Cap. XVIII. Bene, inquit, illo proverbio  
*Græcorum præcipitur:*

Quam quisque nōrit artem, in hāc se exerceat.

Istud autem proverbium adhibuit in *Vespis* Aristophanes: atque  
 Horatius, L. I. Epist. 14. v. 44.

<sup>6</sup> Sic olim duobus vericulis expressimus hanc omnem sententiam:  
 Jupiter & Phoebus cantu certare parabant:

At Momus: Canat hic, inquit, & ille tonet.







Homuncolorum! quàm brevibus corpusculis  
 Finita ?! Tum verò aliquis hanc vocem edidit:  
 Descende; minimum te omnium ipse noveris.

Qui summo honoris fortè positus in gradu,  
 Stultè hinc superbit, hâc notatur fabulâ.

## FABULA VII.

*Murium conventus.* <sup>8</sup>

COTIERE Mures, consulendi gratiâ,  
 Quânam arte possent felis, in gentem suam  
 Quotidie furentis, ungues asperos  
 Vitare. Postquàm plures in sententias  
 Incertus abiit coetus studio inutili;  
 Demum unus senior, altâ mente rem diu  
 Meditatus: Aures, inquit, hùc advertite:  
 Scelere nos hostis fraudulento perfidus  
 Plerumque adortus imprudentes opprimit:  
 Sonum ergo si quem nuntium adventûs sui  
 Præmittat ille deinceps; admonebimur  
 Mali propinqui, & fugere poterimus necem.  
 Quapropter ejus collo tintinnabulum  
 Esse alligandum censeo. Ingens omnium  
 Hic verò plausus approbantium fuit.

<sup>7</sup> Lucretius, L. I. V. 1008.

Et quod inane autem est, finiri corpore cogit.

Cicero, de Nat. Deor. L. 2. c. 59. *In ore sita lingua est, finita dentibus.*

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. II. Fab. II. Benferade, Fab. CIII. Abstemius, Fab. CXC. Faernus, Fab. XLVII. Regnerius, part. I. Fab. I. P. Targa. Fab. 1. Verdizotti. pag. 105.



At postmodum tamen unus aliquis junior:  
 Quis porrò certum, quis paratus est,  
 Adire pro re publicâ periculum?  
 Tacent; operamque difficilem esse sentiunt,  
 Periculosus consiliarius frequens  
 In rebus aderit, executor <sup>9</sup> non item.

## F A B U L A V I I I.

*Ranunculus & Rana* <sup>1</sup>

AQUIS luto refertis natus, & viâ  
 Ipsâ educatus publicâ Ranunculus <sup>2</sup>  
 Audire Ranam, proximi stagni incolam <sup>3</sup>,  
 Monentem, ut ad se, communem habiturus domum <sup>4</sup>,  
 Migrare vellet, noluit: Quid enim mihi  
 Triste hîc futurum timeam, ait; cum tamdiu  
 Ibidem ab omni vixerim immunis malo?  
 Sed ille dum sic disputat <sup>5</sup>, plausurum advenit,  
 Et adhuc loquentis os & artus conterit.

<sup>9</sup> Vell. Paterculus, L. 2. C. 45. *P. Claudius, homo nobilis... malorum propositorum executor acerrimus.*

<sup>1</sup> Æsopus, Fab. LXXXIV. Faernus, Fab. XXXVIII. P. Targa, Fab. II. Verdizotti, pag. 108.

<sup>2</sup> Cicero, ad famil. L. 7. Epist. 18. *Vim maximam Ranunculorum se commosse constabat.*

<sup>3</sup> Vide notam ad Fab. 18. L. 7.

<sup>4</sup> Virgilius, Georg. L. 2. v. 9.

*Antiquasque domos avium cum stirpibus inis  
 Eruit.*

Horatius, L. 1. Od. 7. V. 12.

*Quam domus Albanæ resonantis,*

*Et præceptis Anio &c.*

<sup>5</sup> Cicero, in Verr. L. 3. C. 3. *Neque ego ullam in partem Disputo.*  
 Tuscul. L. 3. c. 9. *Non insitè Heracleotes Dionysius ad ea dispu-*



Plenis pericli sedibus tantò, magis  
Malum propinquat, quò diutius abfuit.

## F A B U L A IX.

*Nitedula & Mustela.* <sup>6</sup>

CUMERAM in frumenti repererat Nitedula <sup>7</sup>  
Exilis: aptam rimula dederat viam.  
Famelica mandit firenuè oblatam dapem;  
Gulæque sic obsequitur; sic ventri gula  
Subservit <sup>8</sup>; ut refectum intra paucos dies  
Jam nimia tendat <sup>9</sup> obesitas <sup>1</sup> corpusculum.  
Tunc, si maneret hoc diutius in loco,  
Sibi ne eveniret aliquod infortunium,<sup>9</sup>  
Verita, redire voluit ad proprium larem <sup>2</sup>:  
Notum ergo repetit aditum; at frustra nititur  
Transire: pinguem tenuis ille non capit.

tat. L. 5. c. 10. *Acutè disputantis illud est.* Vide & annot. ad L. XI. Fab. 29.

6 La Fontaine, Lib. III. Fab. XVII. Benferade, Fab. XLVII. Le Noble, Fab. CXLVI. & CLXXX. Bourfault, Comæd. *Æsopica* 1. Act. 1. Sc. 2. Gabrias. Fab. XLVII. Horatius, Lib. I. Epist. 7. V. 29. Cujus verba nonnulla retinuimus. *Æsopus*, apud S. Hieronimum, Epist. ad Salvinam.

7 Nitedula, mus agrestis, gallicè, *mulot*. Cicero, Orat. pro Sext. c. 33. *Ut illa ex vepreculis extracta Nitedula Rempublicam conaretur arrodere.*

8 Terentius, Andr. Act. 4. Sc. 3. V. 20.  
Tu, ut subservias  
Orationi, utcumque opus sit verbis, vide.

9 Horatius, L. 2. Sat. 5. v. 40.  
Seu pingui tentus omafo  
Furius hibernas canâ nive conspuet Alpes.

Ovidius, Meram. L. 9. v. 286.  
Tendebat gravitas uterum mihi.

1 Columella, L. 6. C. 24. *Ne eas steriles reddat nimia obesitas.*

2 Virgilius, Georg. L. 4. V. 43. de Apibus:  
Sub terrâ fodere larem.

Prope hinc misellam sic laborantem videns  
 Mustela: Quod, ait, profuit, nunc id nocet:  
 Cibus auxit corpus, minuat abstinentia:  
 Ingressa macra es, macra poteris egredi.

Hoc argumento ostenditur, quædam bona  
 Debere omitti, quæ, postquam receperis,  
 Nisi dimittantur, obfutura sunt tibi.

## F A B U L A X.

*Quercus & Arundo.* <sup>3</sup>

D E P R E S S A quantum ad Inferos radicibus,  
 Tantum propinquans Superis alto vertice,  
 Annosa Quercus dixit olim Arundini:  
 Quid te +, misella, fiet, si perflaverit  
 Iratus Aquilo, cum te nunc mitissimi  
 Inflectat aura blandiens Favonii?  
 Retulit Arundo: Quælibet vis ingruat,  
 Summissa vereor; & illa fit clemens mihi.  
 Quercus: Ego nullis, inquit, cedo viribus;  
 Nimbos, procellas, ac depræliantium  
 Quascumque sperno, frango ventorum minas.

3 La Fontaine, Lib. I. Fab. XXII. Benferrade, Fab. LXV. Aphtonius, Fab. XXXVI. Faernus, Fab. I. Jafus Biblioth. Rhet. Tom. 2. pag. 743. P. Targa, Fab. 49. Verdizotti, pag. 88.

4 Cicero, ad Attic. L. 6. Epist. I. *Quid illo fiet, quem reliquero, præsertim si fratrem? Quid me autem, si non iam citò decedo?* Orat. in Verr. L. 5. C. 40. *Quid Cleomene fiet?* Terentius, Andr. Act. 4. Sc. 2. v. 26.

*Quid me fiet?*

Heautont. Act. 4. Sc. 3. v. 37.

Fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.

Dum sic superba gloriatur, *frigido* 5  
*Ab axe repentè se erumpunt Phrenetici*  
*Septentrionum filii.* Se flexilis  
 Arundo sponte dejicit. Prætervolant  
 Illæsam. Quercus obluctatur: at simul  
 Violento adorti turbine illam prouunt.  
 Summissione se ira quæ frangi finit  
 Plerumque, frangere contumaciam solet.

## FABULA XI.

*Puer & Paedagogus.* 6

PAUCIS inepti monitoris præposteram 7  
 Loquacitatem carpere lubet versibus.

Profundi ad oram fluminis ludens Puer  
 Pede lapsus est: at prensa labentis manu  
 Salix opem dat, pendulumque sustinet,  
 Ne pereat, undæ mersus in voraginem.  
 Hùc Pædagogus cùm venisset: Hoc finam,  
 Hoc patiar, inquit, istos nebulones meos  
 Sic evagari? sic mihi non obsequi?  
 Præsentem eripiam te quidem periculo,

Andr. Act. 5. Sc. 4. v. 35. nunc primùm audio,  
 Quid illo sit factum.

5 Verba sunt M. Ter. Varronis in Marcipore, fragmentor. pag. 118.  
 Edit. Scriverii.

6 La Fontaine, Lib. I. Fab. XIX. Locmanus, Fab. XXV.

7 Lucretius, L. 4. v. 831.

Omnia perversâ præpostera sunt ratione.  
 Cicero, Orat. pro Rab. posth. C. 13. *Quid tam insolens, tam per-*  
*versum, præposterumve dici, aut excogitari potest?*

Proterve ludio s : at profectò non feres  
 Impune : namque te modò, simul ac domum  
 Reduxero, flagris perbellè admonitum dabo,  
 Quantùm fatis erit, facti ut memineris diu.  
 Puer externatus diro flagrorum metu,  
 Salicem relinquit, & obrutus fluctu perit.

## F A B U L A XII.

*Puella rustica & lactis cymbium.* 9

S U M M O repositum capite lactis <sup>1</sup> cymbium  
 Puella dum fert rustica, tacito in sinu  
 Reputare cœpit quidquid hinc possiet boni  
 Emergere <sup>2</sup> sibi <sup>3</sup>. Vel nihil, inquit, ex meo  
 Conficiam Lacte, vel pecuniæ fatis,  
 Ut ova centum comparem: pulli tribus  
 Simul à Gallinis excludentur: est quidem  
 Astuta Vulpis; horum non adeò tamen

8 T. Livius, L. 7. C. 2. Ludiones ex Etruria acciti, et tibicinis modos  
*sultantes.* L. 39. C. 6. *Convivalia ludionum oblectamenta.*

9 La Fontaine, Lib. VII. Fab. X. Specimen Sapientiæ Indorum, Sect. 6.  
 pag. 337. Edit. Starkii. Camerarius, Fab. 408.

1 Virgilius, Aen. L. 3. v. 66.  
 Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Ecl. 7. v. 33.  
 Sium lactis & hæc te liba, Priape, quotannis  
 Expectare sat est.

2 Expendit ista puella, quid in hoc cymbio delitescat, quid boni ex  
 hoc lacte possit emergere, in rem ergo de quâ hic agitur, verbum  
*emergere plurimum valet.*

3 Cicero, ad famil. L. 13. Epist. 1. *Cum ad me Romam literas misisset, ut tibi placarem, peteremque . . . sibi concederes.*

Phædrus, L. 3. Fab. 18. v. 1.  
 Pavo ad Junonem venit, indignè ferens,  
 Cantus Luscini quòd sibi non tribuerit.

Sed exempla hujuscemodi inveniri possunt in veterum scriptis innumera.



Numerum diminuet, ut Porco non sint pares  
 Emendo: tenuis emptus est Porcus mihi;  
 Pinguescit; jamque multum fecit corporis;  
 Venditur: emiturque Vacca & ejus insuper  
 Vitulus, in arvo qui jam exultat florido. . .  
 Hic, oneris oblita sui, gaudio exilit  
 Puella. spesque cum Lacte evertit suas.

Mortalium plerisque fabella hæc monet,  
 Qui somniare magna vigilantes solent.

## FABULA XIII.

*Leo Bellum parans.* <sup>4</sup>

BELLUM parabat in exteram gentem Leo;  
 Ejusque regni diversis è partibus  
 Jam variæ ad ipsum Belluæ convenerant,  
 Rem promovere certæ 5 consilio & manu.  
 Dux monuit, ut diversa belli munera,  
 Quæ convenirent singulis, capefferent.  
 Tunc latos humeros Elephas <sup>6</sup> ostentans suos,  
 Vastamque dorsi pandens amplitudinem:

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. XIX. Abstemius, Fab. XCV. Jaius Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 744. cujus etiam verba quædam agnoscere hic licet.

<sup>5</sup> Virgilius, Aen. L. 4. V. 563.

Illa dolos, dirumque nefas in pectore versat,

Certa mori; varioque irarum fluctuat æstu.

<sup>6</sup> Lucanus, L. 6. v. 208.

Getulus densis Elephas oppressus ab armis.

Cicero, de Senect. c. 9. Edit. Verburg. *Adolescens Tauri aut Elephantanti* (vires non) *desiderabam*. Mediolanensis, an. 1408. aliæque multæ Editiones expressum è vetustis codicibus habent *Elephantis*. Elephas æque ac Elephantus dicitur.

Ego, inquit, omnem farcinam, omnes machinas,  
 Instrumentum omne bellicum faciè feram;  
 Nec me gravabunt, si qui prætereà volent  
 Nostro federe tergo, ut pugnent commodè.  
 Ego cataphractus miles, Rhinoceros ait,  
 Ulro periclis obvius, seriam simul,  
 Simulque sustinebo hostiles impetus.  
 Laceffere hostem cominus, meum est, Lupus  
 Exclamat; dentes jam mihi exerti crepant.  
 Totas ego unus possum, ait ferox Aper,  
 Evertere acies more 7 fulmineo ruens.  
 Ego, Vulpis inquit, insidiatoris vicem  
 Implebo; virtus & dolus aderunt mihi.  
 Me, Simius ait, perstare in castris decet;  
 Regem oblectabo dulcibus præstigiis,  
 Fessumque gravibus curis reficiam caput.  
 Partes sibi suas quisque dum sic vindicat;  
 Demissis 8 Asinus interim auriculis filet;  
 Siletque pariter corpore contracto Lepus;  
 Stuporis ille, at hic timoris conscius:  
 Et utrumque carpunt ceteri, & onerant probris;  
 Et esse castra liberanda dicunt  
 Stolido ac inertì pecore: sed Leo negat:  
 Et: Hi quoque operam conferent, ait, utilem:  
 Clangentis Asinus buccinæ imitetur fonos:  
 Lepus cursoris defungatur munere.

7 Ovid. Metam. Lib. X. V. 550.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri.

8 Horatius, Lib. 1. Sat. 9. v. 20.

Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus.

Nemo est tam ineptus, à perito qui duce  
Ad aliquid aptus inveniri non queat.

## F A B U L A X I V.

*Pastor & Molossus.* <sup>9</sup>

M O L O S S U M habebat Pastor mirâ præditum  
Virtute, custodemque præclarum gregis:  
Sed dum voracem, dum famelicum nimis  
Conqueritur; aliquis persuasit, uti venderet  
Istum helluonem, & hinc duos, vel tres canes  
Redimeret alios, operam qui possent parem  
Simul adhibere, & levibus impensis ali.  
Ergo generosus, & fidelis, & vetus  
Ejicitur hospes. At ubi sensit jam procul  
A grege valentem abesse custodem Lupus,  
Longo metu solutus, desertas oves.  
Modò hanc, modò illam, invadit, & facilè rapit.  
Unde redit ingens lucrum, ne impensas dole.

## F A B U L A X V.

*Ostrea & Viatores.* <sup>1</sup>

I N litus Ostream expulerat fluctus maris,  
Expulsamque, citò refugiens, reliquerat.

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. VIII. Fab. XVIII. Jafus Biblioth. Rhetor. Tom.  
I. pag. 743.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. IX. Fab. IX. Boileau, Epist. 2. & hujus interpretes,

Hanc simul hiantem duo Viatores vident,  
 Simulque properant: Et: Mea est, vidi prior,  
 Ait unus. Ast ego prior fensi, alter refert.  
 Dum sic decertant, tertius supervenit.  
 Tu Judex esto, dicunt. Ego verò ac lubens,  
 Respondet ille; neque morabor vos diu.  
 Statim & capessit, & ligurit Ostream.  
 Stupentibus ad hæc, concham utramque dividit,  
 Suamque cuique porrigit; tum subjicit:  
 Lis est dirempta; vos quieti cedite. <sup>2</sup>

Fabella stultos litigatores monet.

## F A B U L A X V I.

*Sculptores duo & Æsopus.*

D U O Sculptores olim ejusdem marmoris,  
 Æqualem utrinque, venditam & pretio pari,  
 Suam sibi quisque partem comparaverant.  
 Sed cùm peritus alter sculpendi artifex,

Moneta carm. 10. atque Godellus pag. 189. Ad istam autem Epistolam adjecta hæc leguntur: *Cette fable est tirée d'une ancienne Comédie italienne. Cette même fable a été mise en vers par La fontaine; mais au lieu de la Justice il a mis un Juge sous le nom de Perrin Dandin, qui avale l'Huitre: en quoi notre Auteur disoit que La Fontaine a manqué de justesse, car ce ne sont pas les Juges seuls qui causent des frais aux Plaideurs: ce sont tous les Officiers de la Justice.* At immo, cùm *Affabulatio* (ut eam vocat Priscianus) *Judicium in stultos Litigatores arguat iniquitatem, minus rectè, nisi fallor, isti Judices & appendix eorum universa sub Justitiæ nomine in Fabulâ ipsâ exhibentur: namque ad id, quod palam ostensum est, Affabulatio non debet referri.*

<sup>2</sup> Cicero, ad Brutum. Epist. 15. *Cedebas, Brute, cedebas, quoniam foici nostri negant fugere sapientis (esse).*

Et alter imperitus admodum foret;  
 Æsopus hunc sic admonuisse dicitur:  
 Non bellè egisti; quid enim hinc erues boni?  
 Tuum at sodalem callidum emptorem puto:  
 In marmore suo pretiosam videlicet  
 Sensit latere statuam; & hanc facilè eruet.  
 Materiam habere idoneam parum est, nisi  
 Illam expolire doctus nôrit artifex.

## FABULA XVII.

*Asini duo & Vulpis.* <sup>3</sup>

QUOD vulgò dicitur, *Asinus Asinum fricat* <sup>4</sup>,  
 Dixêre Veteres, *Mutuum Muli scabunt* <sup>5</sup>:  
 Id quò pertineat, ut Asini bipedes queant  
 Faciliùs pervidere, fabulam hanc dabo.

Par inficetum, & illaudatum, Asini duo  
 Opiparè pransi, dulcibusque carduis  
 Bene recreati, dum inter se colluderent:  
 Heus, inquit unus; ut placet, frater, tibi  
 Conditio nostrâ? Corporis nostri decor  
 Qualis videtur? Et isthæc oris dignitas,

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. XI. Fab. V.

<sup>4</sup> Virgilius, Georg. L. 3. v. 256. De sue:

Fricat arbore costas.

<sup>5</sup> His ipsis verbis inscripta erat Satyra quædam Varronis Menippea, ut refert Nonius Marcellus, Edit. Mercer. 1614. pag. 115, 157., 228., & 235. Atque Ausonius, Edyll. 5. præfat. 3â. *sed, ut quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus, mutuum muli scabant.*

Isti modò acuti, modò graves vocis foni,  
 Iste aurium subtilis & nitidus apex,  
 Hæc cuncta quantum laudis habent & gloriæ?  
 Respondet alter: Cur tacere nos pudor  
 Cogat, quod ipsa veritas loqui jubet?  
 Nos ambo nempe belluli toti fumus:  
 Res vacua ab omni controversiâ patet.  
 Invidia si quid forsan obtrectaverit,  
 Quid tum? more suo fecerit: solet invehi  
 In optima quæque: obtrectet igitur, & gemat.

Ut omnia Vulpis audierat: Vos ô nimis  
 Felices, inquit, Bestiæ, quibus licet,  
 Ab omnibus negata, laudum munera,  
 Vobis ab ipsis invicem accipere, & frui <sup>6</sup>!

## F A B U L A X V I I I.

*Philomela, Corvus, & Bubo.* <sup>7</sup>

N A T U R A vernis pinxerat coloribus  
 Fetus repullantes; formosissimi  
 Ridebat anni blanda tempestatas: dies  
 Festivitati candidæ simillimus  
 Abierat, <sup>8</sup> & paraverat amicæ locum

<sup>6</sup> Cicero, ad famil. Lib. 9. Epist. 17. *Nihil tamen timeo: fruor, dum licet.* Orat. pro Cæc. C. 5. *Usum fructum omnium bonorum suorum Cæsennia legat (Fulcinus) ut fruere tur unâ cum illo.* Orat. ad Quir. post red. C. 1. *Non tam id sentiebam, cum fruebar.*

<sup>7</sup> Richer, Lib. II. Fab. XVIII,

<sup>8</sup> Cicero, Orat. pro Sext. C. 33. *abiit ille annus, Horatius, L. 1. Sat. 5. V. 14.*

Tota abit hora.

Tranquillitati: Solis aurei calor  
 Extulerat ab agris molliter tepentibus  
 Subtilem odorum copiam, quam paululum  
 Noctis terentæ frigus addensaverat,  
 Et in parentis regna Telluris finens  
 Recidere, florum, floridarumque arborum  
 Diurnum odorem odore vincebat novo.

Philomela tales avida delicias capit,  
 Penitusque condit eruditis sensibus.  
 Sed efficaci mox scientiæ obsequens  
 Inflat canorum guttur, & ad omnes modos  
 Intendit: acrem nunc, & argutam vibrat  
 Animosa vocem more clangentis tubæ:  
 Nunc languida premit, frangit, obscurat sonos;  
 Et deficere videtur, & medullitus <sup>9</sup>  
 Amore flagrans intimo liquefcere <sup>1</sup>.

Favonius, quem lilia inter & rosas  
 Dulci tenebat inertia vincum sopor,  
 Evigilat <sup>2</sup>; hasque mirans tam volubiles  
 Tam delicati flexiones gutturis,  
 Ne cesset illa, metuit. Evigilat quoque

<sup>9</sup> Festus: Medullitus, *ex intimis medullis*. Plautus, Mostel. Act. I.  
 Sc. 3. v. 86.

Trucul. Act. 2. Sc. 4. V. 85.  
 Ut videas eam medullitus me amare.

Ostendit sese jam mihi medullitus.

<sup>1</sup> Virgilius, Ecl. 8. V. 80.

Limus ut hic durefcit, & hæc ut cera liquefcit

Uno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore.

<sup>2</sup> Statius, Sylv. Lib. 5. carm. 3. V. 127.

Puppe magister

Excidit, & mediis miser evigilavit in undis.

Plinius junior, L. I. Epist. 5. *Sed planè mane . . . Evigilaveram:*  
*numius &c.*

Corvus; at inepto tardus ingenio, & sibi  
 Quòd somnus abrumpatur ægrè etiam ferens:  
 Quæ te mala, inquit, cuncta ubique dum silent;  
 Libido cogit, tam molestè ut perstrepas?  
 Tibi videris bella cantrix <sup>3</sup>: at tuæ  
 Mihi cantilenæ, moneo, valde displicent;  
 Illisque jam nunc abstinere ni velis,  
 Ex me feres grande aliquod infortunium.

Philomela atroces verita minas obmutuit;  
 Multoque mane cùm vix dilucesceret,  
 Periculofam præpotentis Alitis  
 Viciniam reliquit, & se contulit  
 Celeriter in remotam solitudinem.  
 Ibi sese doctis artibus operam dare  
 Impunè tandem posse credit: & leves  
 Per summa gramina zephyrorum spiritus  
 Cùm dulcè fremerent, sibilumque <sup>4</sup> ramulis  
 Mobilibus arbor musicum <sup>5</sup> omnis redderet,  
 Et Phœbus etiam candidâ purus face  
 Innubilas per auras lucem spargeret;  
 His illa paret incitamentis: canit;  
 Simulque varias celebrat agrestis loci  
 Amœnitates, & voluptatem suam.

<sup>3</sup> Varro, de re rust. l. 3. C. 5. *Aves sunt omne genus, maximè cantrices, ut Lusciniole ac Merula.*

<sup>4</sup> Virgil. Eclog. V. V. 82.

Nam neque ine tantum venientis sibilus Austri, &c.  
 Catullus, carm. 4. V. 12.  
 Loquente sæpe sibilum edidit comâ.

<sup>5</sup> Phædrus, l. 4. Fab. 19. V. 20.

Qui tristis audis musicum citharæ sonum.



Sed in cavato proximæ trunco arboris,  
 Somno sepultus, qui latebat, horridus  
 Bubo <sup>6</sup> excitatur; quamvis & lucem oderit,  
 Paulùm progressus, voce ferali increpat:  
 Et: Inficetos ni statim cantus, ait,  
 Finieris, istam vocem importunissimam  
 Ultor ego, vitamque simul eripiam tibi.  
 Hic denique suum misera Avis studium abjicit;  
 Timensque Corvos nocte <sup>7</sup>, Bubones die,  
 Silet, dolorve si urgeat, tantùm gemit.

Fabella scripta est in homines quosdam feros,  
 Musa quibus omnis suavior bilem movet.

## FABULA XIX.

*Columba & Turtur.*

COLUMBA multùm conquerens, cum Turture  
 Communicabat luctus & metus suos:  
 Instare semper miluum; geminos sibi  
 Rapuisse pullos nuper; quos nunc educat,  
 Hos pariter se metuere ne rapiat brevì,  
 Ipsamque matrem. Cui Turtur proprii immemor  
 Pericli, & hujus miseriam tantùm intuens:


<sup>6</sup> Gallicè, *Chat-huant*. Plinius Hist. Lib. X. Cap. XII. *Bubo funebris, & maximè abominatus... deserta incolit... noctis monstrum; nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu.*

<sup>7</sup> Plinius, Hist. L. 7. C. 49. *Quæ nocte ac die observantur.* Ovidius, Fast. L. 1. V. 455.

Noctè Dææ Nocti cristatus cæditur ales.

Pont. L. 3. Eleg. 1. V. 40.

Et niti pro ræ nocte dieque decet.



Secede mecum, dixit; nidulus est mihi  
 Prope hinc locatus; hùc vos recipiam lubens,  
 Et te, tuamque sobolem milui impios  
 Contra furores protegam. Illa sed refert:  
 Eheu! miselle, quid mihi auxilii potes  
 Præstare, nofter quem tyrannus, si iugruat,  
 Simili pavore afficiet, & pari nece?  
 Periclitanti bellicosus & valens  
 Ales si adest. . . verùm opem libentiùs  
 Humilibus 8 humiles, quàm potentes offerunt 9.

## F A B U L A X X.

*Pica & Columba.*

P I C A & Columba pavonem convenerant  
 Urbanitatis exhibendæ gratiâ.  
 Dum redeunt: Iste quàm mihi pavo displicet,  
 Malevola dixit Pica! quàm insuaves sonos  
 Emittit ore lactifico! cur non filet?  
 Pariterque turpes cur non obtegit pedes?  
 At innocens Columba contra sic refert:  
 Vitia hujus observare non licuit mihi;  
 Præstantis autem corporis speciem inclytam,

8 Phædrus, L. I. Fab. 28. V. 1.

Quamvis sublimes debent humiles metuere.  
 & Fab. 30. V. 1.

Humiles laborant, ubi parentes dissident.

9 T. Livius, L. 40. C. 23. *Utro suam offerens opem attulit  
 ejus elicit.*

Caudæ nitorem & æmulum <sup>1</sup> gemmis decus  
Mirata sum, & laudare non fatis queo.

Mali requirunt, capere quæ possint, mala:  
Laudare contra, quæ bona sunt, amant boni.

## FABULA XXI.

*Pueri duo.*

Duo, stultus alter, alter autem callidus,  
Pueri in commune <sup>2</sup> invenerant aliquot nuces.  
Quas cum fregisset callidus, stulto dedit  
Putamina casta, nucleos sumpsit sibi  
Frustra ille, quod tenet, experitur <sup>3</sup>, quid queat  
Prodesse, deceptumque sese intelligit.  
At non decipiet ultra, dixit; & probe  
Ulciscar ejus fraudem, si qua fors fefat <sup>4</sup>.  
Hi postmodum ambo similiter quodam die  
Cum reperissent oleas: qui fallaciam  
Nuper sibi factam corrigere pari dolo  
Cupiebat: Id quod intra est, inquit, da mihi;

<sup>1</sup> Plinius, Hist. L. 9. C. 17. *Quas* (mustelas) *Lacus Rhaeticæ Brigantinus* æmulas marinis generat. Martialis, L. 4. Epig. 42. V. 10.  
Pæstantis rubeant æmula labra rosis.

<sup>2</sup> *In commune* conferendas scilicet. Est enim Ellipsis in hac antiquâ loquendi formulâ. Vide not. ad Lib. IX. Fab. XXI.

<sup>3</sup> Plautus, Pseud. Act. 1. Sc. 1. V. 70.  
Nunc ego te experiar, quid ames, quid simules.

Virgilius, Ecl. 3. V. 28.  
Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim  
Experiamur?

<sup>4</sup> Virgilius, Aen. L. 2. V. 94.  
Et me, fors si qua tulisset,  
Promisi nitorem.

Tibi, quod est extra, tolle. Gaudet in sinu  
Socius; jubentique alacriter morem gerens,  
Capit sibi carnem 5 oleaginam, dulcem cibum;  
Duros misello tradit ultro nucleos.

Nil usus adjuvat, ubi deest prudentia.

## F A B U L A XXII.

### *Noctua & Gallus.* 6

ASSUETA tenebris, claram & illustrem magis  
Lunam esse sole, contendebat Noctua:  
At Solis Gallus adventantis nuntius,  
Fuge, cæca, dixit; Luna pallet, Sol redit.  
Calumniam infons non poteris feliciùs  
Reprimere, quàm si, qualis es, te ostenderis.

## F A B U L A XXIII.

### *Apis & Eruca.* 7

ROSÆ obstinatam erodere 8 micantes sinus  
Apis indignata vidit Erucam: Mala,  
Inersque bestia, inquit, hos tam fulgidos,  
Tam delicati, tali odore præditi

5 Plinius, Hist. L. 15. C. 3. *Oliva constant nucleo, oleo, carne, amurca.*  
Ibid. *Fosted nuclei indurescunt & caro.*

6 Richer, Lib. IV. Fab. II.

7 Richer, Lib. VIII. Fab. XXII.

8 Columella, L. 10. V. 326.

Nec foliam teneras audent erodere frondes  
Implicitus conchæ limax, hirsutaque campe.



Floris colores te perimere non pudet?  
 Immo, refert illa, tam boni succi dapes  
 Præ ceteris naturæ conveniunt meæ;  
 Nihil & veneno, quo meum corpus viget,  
 Esse reparando magis idoneum puto.

Mulctatur hujus acerbitate fabulæ  
 Criticorum acerbum & lividum quoddam genus.

## FABULA XXIV.

*Pica, Cornicula, & Vulturius.*

EXASPERATA trucibus in Corniculam  
 Odiis, Vulturium Pica famelicum videns,  
 Sic allocuta est: Quæ tenet aves ceteras,  
 Corniculam in ulmo nidulantem <sup>9</sup> proximâ  
 Visendi num te cupiditas pariter tenet?  
 In me quidem ejus nulla sunt, quæ prædicem,  
 Officia; laudem agnoscere tamen quamlibet,  
 Vel in hoste, cogor veritatis <sup>1</sup> viribus:  
 Dicam ergo, quæ mirata sum: prolem educat  
 Teneramque, pulchramque, & matri simillimam;

V. 36. de eâdem campe, quam nunc erucam vocat:  
 Serpitque eruca per hortos,

Quos super ingrediens exurit semina morsu.

L. II. C. 3. extr. *Noxia incefferunt animalia, quæ à nobis appellantur* (erucæ,) *græcè autem κερκισι.*

<sup>9</sup> Varro, Lib. I. Hebdomadum, apud Nonium Cap. II. Sect. 589:  
*Halcyones hieme in aquâ nidulantur.* A. Gellius Lib. II. Cap. 29:  
*Nomen est Cassita: habitat, nidulaturque in segetibus.*

<sup>1</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. I. V. 9.

Repulfus ille veritatis viribus.

Namque ipsa pulchra est; &, quod aliis matribus  
 Fortasse nullis antea unquam contigit,  
 Pariendo, & educando, non modò pristinam  
 Non minuit illa corporis <sup>2</sup> habitudinem;  
 Sed inde facta <sup>3</sup> est etiam corpulentior.  
 Hoc excitatus perfido præconio  
 Suam Vulturius sentit augeri famem:  
 Corniculæque celeriter nidum petit;  
 Matremque, prolemque pariter necat, & vorat.  
 Ultra malevoli laudant, ubi laudem magis  
 Esse nocituram, quàm calumniam, sciunt.

## F A B U L A X X V.

*Boves duo.*

V A L I D I & opimi perpetuis laboribus  
 Se destinari cùm scirent Boves duo,  
 Ægrè ferebant: quorum contumacior  
 Unus recusat operam; & detrectat iugum.  
 Quapropter illum, quando pinguis est satis,  
 Et corpulentus, debitumque officium negat  
 Præstare, nec prodesse alio potest modo,  
 Interficit herus. Quod videns alter, sua

<sup>1</sup> Terentius. Eum. Act. 2. Sc. 2. V. 11.

Qui color, nitor, vestitus: quæ habitudo est corporis  
 Auctor Rhet. ad Herenn. L. 4. C. 10. *Corporis bonam habitudinem  
 tumor imitatur saepe.*

<sup>2</sup> Plautus Epidic. Act. 1. Sc. 1. V. 8.

Corpulentior videre. anone habitior.

Calumnella L. 6. C. 3. *Nilivmque & corpulentum pecus faciunt.*



Sic fata secum ruminat 4: Proponitur  
 Malum mihi duplex, labor, aut mors; mors est quidem  
 Finis laborum, at ipsa maximus labor;  
 Minima malorum semper eligenda fuit;  
 Ergo laborare fatius, inquit, quàm mori.

## F A B U L A XXVI.

*Quercus & Edera.* 5

P RÆCLARA Quercus, arboribusque ceteris  
 Excelsior, in omne dominabatur nemus.  
 Huic Edera nexu circum adhærens lubrico:  
 Numquid, ait, ista te juvat tanta arborum  
 Frequentia, quòd sic te ambiat, sic te premat?  
 At nonne potiùs nimis obumbrando nocet?  
 Tum Quercus: O, tace, invida; tu sola hìc noces.

## F A B U L A XXVII.

*Cuculus & Luscinus.*

S U U M Cuculus cantum ab omnibus videns  
 Rideri, secum, quidquid illud est mali,

4 Virgilius, Ecl. 6. V. 54. de iuvenco:

Ilice sub nigrâ pallentes ruminat herbas.

Ovidius, Am. L. 3. Eleg. 5. V. 17. de tauro:

Dum jacet, & lentè revocatas ruminat herbas.

Nonius, C. 1. N. 64. *Rumen dicitur locus in ventre, quo cibus sumitur, & unde redditur. Unde & ruminare dicitur.* C. 2. N. 746.

Ruminare, in memoriam revocare. Varro, in Tanaquile: ruminabitur humanitatem. In sexagesi: Ruminaris antiquitates. in Bimargo: *Odyssæam hoveri ruminari incipies.*

5 Fischer. Lib. V. Fab. XV.

Rem tacitus omnem pensat; & bonâ fide,  
 Non bellè canere sese, demum intelligit.  
 At inde causam credit infortunii  
 Esse repetendam, quòd duos tantùm modos  
 Iterare nôrit. Luscinium <sup>6</sup> ergo musicæ  
 Artis magistrum pretio precibus <sup>7</sup> illicit,  
 Melicam ut docere varietatem se velit.  
 Sed ille frustra cùm tentâsset indolem  
 Discipuli ineptam: Didiceris vocem licèt  
 Rite modulari, nil tibi, inquit, proderit;  
 Vox dura reddet semper insuaves fonos.

Artis ope frustra variam natura induit  
 Vitiosa formam, si vitiositas <sup>8</sup> manet.

<sup>6</sup> *Luscinus* æquè, dicitur, ac *Luscinia*. Seneca, Epist. 76. *Habet (homo) vocem? Sed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem lauri, dulciorem mobilioremque luscinii?* Sic enim legendum est; & hanc lectionem Codicum quinque Palatinorum auctoritate confirmatam admiserunt omnes Critici. Phædrus, L. 3. Fab. 18. V. 1.

Pavo ad Junonem vênit, indignè ferens,  
 Cantus Luscinii quòd sibi non tribuerit.

Et V. II.

Tibi forma, vires aquilæ, Luscinio melos.

<sup>7</sup> Terentius; Eun. act. 5. Sc. 9. V. 24.

Perfice hoc

Precibus, pretio.

Phædrus, L. 5. Fab. 7. V. 18.

Adducit pretio, precibus.

Lib. 1. Fab. 8. V. 5. de Lupo:

Coepit singulos

Illicere pretio. ut illud extraherent malum.

<sup>8</sup> Cicero, Tuscul. L. 4. C. 15. *Virtutis contraria est Vitiositas.*







## FABULA XXVIII.

*Aquila & Corvus.*

AQUILA exprobrabat Corvo infamiae notam,  
 Quòd projectorum putridis cadaverum  
 Vesci soleret carnibus. Sed utrius,  
 Amabo, ait ille, facinus odiosum est magis?  
 Corvi, qui nullas devorat, nisi mortuas,  
 Pecudes, an Aquilæ, vivas quæ depascitur?  
 Illustria quædam scelera sunt: at maxima  
 Sæpe ibi pudendi causa est, ubi minimè pudet.

## FABULA XXIX.

*Canis mutare conditionem coactus.*

ALIIQUOT per annos vixerat Canis domi,  
 Si non planè otiosus, at levissimis  
 Mutare solitus otium laboribus;  
 Profeceratque non ineptis lusibus,  
 Familiam ut omnem benevolam sibi redderet:  
 Sed herus ab illo posse cum magis utilem  
 Operam dari intelligeret, ipsum præfici  
 Custodiendo voluit agnorum gregi.  
 Obtemperavit, at perinventus, Canis,  
 Talemque obivit tristifculus 9 provinciam.

9 Cicero, de Divin. L. I. C. 46. *L. Paulus consul . . . filiolarum suarum . . . osculans animadvertit tristifculam.*

Ægram videlicet huic molestiam creat  
 Pecudam inquieta ludibundarum indoles,  
 Simulque earum maxima imbecillitas.  
 Procidente tamen tempore, ut blandissimæ  
 Mitissimæque gentis innocentiam,  
 Modumque vitæ simplicem exquisitiùs  
 Cognovit, hanc amavit; & munus suum  
 Incepit aliquâ cum voluptate exsequi.

Sæpe ibi voluptas, ubi necessitas fuit,  
 Paulatim ab ipsâ nascitur assuetudine.

1 Cicero, de clar. Orat. C. 93. *Nemo erat, qui videretur exquisitiùs, quàm vulgus hominum, studuisse literis.*





# FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER SEPTIMUS.



## PROLOGUS.



ÆSOPIARUM ut fabularum dignitas  
Magis magisque commendetur hinc libet  
Narrare, quantum laudis ad fastigium  
Memoria <sup>1</sup> Æsopi gentem apud doctissimam  
Evecta fuerit. Nam ille postquam Delphicæ  
Facinore gentis subiit injustam necem,  
Cum jam per omnem Græciam cognomine  
Sapientes septem nuncuparentur viri,  
Sapientum octavus <sup>2</sup> non reputatus est modò,  
Statuas sed inter, istis positas, Attici

<sup>1</sup> Cicero, de Nat. Deor. L. 3. C. 19. *Intelligi potest . . . virorum fortiam memoriam honore Deorum immortalium consecratam.*

<sup>2</sup> Horatius, L. 2. Sat. 3. V. 296.

Hæc mihi Stertinius Sapientum octavus amico  
Arma dedit.

Voluère formâ infigniore & in basi 3  
 Majore stare hunc sculptum Lyſippi manu.  
 Et meritò: namque Thales, Pittacus, Bias,  
 Myſonque, Chilonque, & Cleobulus, & Solon  
 Præcepta vitæ tradiderunt aſpera,  
 Duraſve leges, aut graves ſententias:  
 At veritatem callidè Phryx 4 noverat  
 Hominibus approbare, quippe qui jocos  
 Dulcibus elueret ejus amaritudinem:  
 Et his fuiſſe mihi videtur artibus  
 Tantò ſapientibus aliis præſtantior,  
 Quantò ille Medicis omnibus longè foret  
 Exiſtimandus doctior, qui ſuavibus  
 Quoſcumque morbos remediis depelleret.

3 Phædrus, Lib. II. Epilog. V. 1.

Æſopo ingentem ſtatuum poſuère Attici.  
 Sed & Agathias Antholog. Lib. IV. ſub fin. Lyſippum Sicyonium,  
 Sculptorem eximium, laudat, quòd Æſopum poſuerit ante ſeptem  
 Sapientes:

Ἐπτά σοφῶν ἐμπροθεν.

Hos enim cogere ad bene agendum, illum autem eſcâ blandâ &  
 eximiâ invitare.

. . . . . καλὸν ἔχει δέλεαρ

A. Gellius pariter Lib. II. Cap. 29. *Æſopus . . . . haud immeritò,*  
*inquit, ſapienter exiſtimatus eſt . . . . non ſeverè, non imperioſè*  
*præcepit . . . . ut Philoſophis mos eſt; ſed ſeſſivos, delectabiles-*  
*que Apologos commentus, res . . . . in mentes, animosque*  
*hominum cum audiendâ quâdam illecebrâ induit.*

4 Æſopus Phryx fuit: ad quem vulgare proverbium, *Serò ſapiunt*  
*Phryges*, minimè pertinere credendum eſt.





## F A B U L A I.

*Perdix & Canis venaticus.*

O D O R E Perdix, quæ se prodiderat suo,  
 Venaticum consistere subitò Canem,  
 Et subsidère, & omnem frangere impetum,  
 E quasi cavere, ne quid officeret, videns,  
 Nihil timendum jam sibi esse credidit.  
 Sed ista volucrem decipiebat credulam  
 Species dolosa fictæ mansuetudinis;  
 Eratque signum, gressibus tacitis hero  
 Huc se inferenti, præda ut innotesceret:  
 Et rem ille pulchrè intelligit 5; & ubi satis,  
 Accessit, aliquo motu Perdicem excitat,  
 Et avolantem missili plumbo necat.

Nocitura nunquam certiùs est malignitas,  
 Quàm cùm personam 6 lenitatis induit.

## F A B U L A II.

*Viator & Platanus. 7*

L A B O R E, & æstu Solis ardentissimi  
 Fessus 8 Viator, Platani in umbrâ longuidos

5 Phædrus, L. 2. Fab. 5. V. 10.

Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.

6 Cicero, Orat. pro Mur. C. 3. *Gravitate, severitate personam non appetivi.* Ad Attic. L. 15. Epist. 1. *Parvumne foeda persona est ipse senectutis?*

7 Æolus, Fab. CCLV. Benferade, Fab. CXXXV.

8 Cicero, Orat. pro Planc. C. 10. de C. Mario: *Fessum inedia fuit.*

Deponit artus : dumque zephyrorum leves  
 Admittit auras, & vapores igneos  
 Caulas 9 per omnes corporis sensim ejicit;  
 Torvis pererrat oculis beneficam arborem;  
 Ipsamque duris appetit conviciis;  
 Quòd tam formosis, tamque densis frondibus  
 Exuberaret; at careret fructibus.  
 Respondet illa: Tune maledicas mihi,  
 Ingrate? saltem oportuit laudabilem  
 Hæc me videri parte, quòd prosum tibi.

### FABULA III.

*Luporum Legati ad Anglorum Regem. 1*

LEGATOS olim Regem 2 ad Anglorum Lupi  
 Miserunt. Unum genere de suo marem,  
 Unamque feminam ejus in terras rogant

*ibusque (Minturnenses) recedunt.* Ovidius, *Metam.* L. 14. V. 426. de Canente nymphâ:

Ulimus aspexit festam luctuque viâque  
 Tibris, & in gelidâ ponentem c' rpora ripâ.

9 Lucretius, *Lib. VI.* V. 839. de avibus intereuntibus:  
 Dispergunt animas per caulas corporis omnes.

1 Furetiere, *Fab.* XLVIII.

2 Camdenus in sua Britannia, *Edit. Lond. 1600.* in 4. pag. 592. *Numerosi omnium greges in his (Wallie) montibus errant; nec nihil est à Lupis periculum: qui tunc per universam Angliam aeteli erant, cum Edgarus rex (circa annum 960.) Luinallo harum regionum principi tricenos Lupos, in singulos annos, vectigalis nomine, imperaret. Et pag. 640. Qui (Lupi) jam in Angliâ nusquam comparent, ne in ipsi versus scotiam limitibus, cum sint tamen in Scotiâ frequentissimi.* Atque his etiam nostris temporibus, cum quidam *Phillips*, Anglus, in carmine suo pastorali primo loqueretur de Lupis, tanquam si in Angliâ existerent, hæc de re scripsit ab *Alexandro Pope*, *Guardiani* No. 40. Narrat quoque *Plinius*, *Hist. L. 9. C. 58. non esse Lupos nec in Olympo Macedonia monte, nec in Creta insula.*



Portare liceat. Providus Rex abnuat;  
 Istique, dixit, recipiantur si duo,  
 Mox facilè crescant milliarium 3 in gregem:  
 Etenim 4 malorum citò propagatur genus.

## F A B U L A I V.

*Canis fugitivus & Herus.* 5

CANIS ex herili qui domo migraverat  
 Fugitivus, ab herò postmodùm inventus suo,  
 Herumque se benignum cur sic linqueret,  
 Interrogatus: Te quidem fateor mihi  
 Et liberalem semper, & mitissimum  
 Fuisse dominum, dixit; at tua interim  
 Omnis familia perpetuis cæsum malè  
 Verberibus hùc me denique miserum impulit  
 Ut hoc defugerem, non quod infortunium  
 Intuleris, at quod te prohibere oportuit.

Vetare, ne mala inferantur, qui potest,  
 Et non vetat, idem, ac ipse si inferret, facit.

3 Varro, de re rust. L. 2. C. 10. *In gregibus ovium, sed magnis, quos milliarios faciunt quidam.*

4 Minucius Felix, Edit. Balduini, 1560. pag. 17. *fecundiùs nequiora proveniunt.*

5 Absternius, Fab. XXXVI. Faernus, Fab. LII. P. Targa, Fab. 50.





## F A B U L A V.

*Jupiter & Rusticus.* <sup>6</sup>

QUIDAM locatum ab ipso maximo Jove  
 Fundum feracem Rusticus conduxerat <sup>7</sup>,  
 Transegeratque, & pactiōnem fecerat,  
 Ut constitutos intra limites agri  
 Sibi ordinandas tempestates traderet.  
 Lætissimus ergo, spesque animo magnas movens  
 Proscindit arvum; mandat <sup>8</sup>, occat <sup>9</sup> femina:  
 Et sudum, & imbres, & calorem, & frigora  
 Inducit, utcumque optimum fore autumat:  
 Tamen adextremum pessimas segetes metit.  
 Secum querentem commiseratus Jupiter  
 Compellat ultro: Teque, dixit, an sciam  
 Moderari melius, & varias anni vices  
 Utilius ducere, experiri nunc decet.  
 Cumque abstulisset annuenti Rustico  
 Imperium ineptis male gubernatum artibus:  
 Hortatur, operam is ut velit modò impiger  
 Adhibere: tempestates ipse digerit  
 Ratione solitâ; & hujus agro largiens

6 La Fontaine, Lib. VI. Fab. IV. Faernus, Fab. XCVIII. P. Targa. Fab. 104. Verdizotti, pag. 290.

7 Cicero, de Juvent. Rhet. L. I. C. 30. *Si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Heracleonti quidem turpe est conducere.*

8 Columella, L. 2. C. 9. *Aludofalla semina terra mandant.*

9 Horatius, L. 2. Epist. 2. V. 161.

Cum segetes occat.  
Cicero, de Senect. C. 15. *Semen occidentium . . . ex quo occasio nominata est.*



Benignitatem lege communi statam <sup>1</sup>,  
 Demum paternis omnia curis temperans,  
 Ad eos facit rem progredi sensim exitus,  
 Ut redeat ampla messis: quam dum Rusticus  
 Colligere properat, gratus hanc vocem edidit:  
 Divinâ qui se Providentiâ regi  
 Sinit, unicè illum sapere nunc intelligo.

## F A B U L A VI.

*Lepores, Canes, & Vulpes.*

**E**FFUGERE semper impetus primos Canum  
 Cùm cogerentur Lepores, etsi maximos  
 Conflare <sup>2</sup> sæpe didicerant exercitus;  
 Vulpinam ad gentem supplicatum denique  
 Misère, vellet auxiliares copias  
 Sibi commodare. Vulpes, quas odium vetus,  
 Et ira stimulat acris adversùs Canes,  
 Auxilia spondent: coeunt: ad pugnae locum  
 Properant frequentes: at, quibus operam dicant <sup>3</sup>,  
 Stare otiosos, utpote imbelles, jubent,  
 Ne fortè solitâ timiditate, exterriti,  
 Corrum pant animos dimicantùm strenuè.  
 Lepores promittunt, legibus se inertiae

<sup>1</sup> Staius, Sylv. L. 5. carm. 3. V. 114.

Cùm stata laudato caneret quinquennia versu.

<sup>2</sup> Cicero, Orat. in Ant. 4. C. 6. *Exercitum*... conflavit. Vell. Paterculus, L. 2. C. 74. *Exercitum* conflaverat.

<sup>3</sup> Terentius, Phorm. act. 1. Sc. 2. V. 12.

Hanc operam tibi dico.

Cicero, ad famil. L. 2. Epist. 6. *Hoc à te peto, ut huic meæ laus tuae studium dices.*

His, quanquam turpibus, obsecuturos fore.  
 Pugnam ergo placidi spectant. Postmodum tamen  
 Et numero & astu superiores Vulpium  
 Phalanges Canibus Prævalere cum vident,  
 Concurrere audent, si queant aliquam sibi  
 Afferere partem laudis & victoriæ.  
 Sed ubi intuentur propius in teterrimis  
 Fœdè excubantes <sup>4</sup> vultibus hostium minas.  
 Cæco pavore omnes simul versi retro  
 Fugère; turmisque socialibus malo  
 Suasère exemplo, caperent ut similem fugam.  
 Pugnare solos bellicosos expedit.  
 Imbellium agmen officit, nedum adjuvet.

## F A B U L A VII.

*Leo furiosus & Lepus.* <sup>5</sup>

LEO furiosus factus est: clamat Lepus:  
 Nos, heu! pusillos quanta perniciēs manet!  
 Quod vix ferendum, quamdiu is sanus fuit,  
 Credidimus, quale nunc videbitur jugum?  
 Spes denique omnis infimos tunc deserit,  
 Furor <sup>6</sup> ubi comitem se potestati dedit.

<sup>4</sup> Plancus, inter Cicer. Epist. ad famil. l. 10. Epist. 8. *Ex quo intelligi potest curam rei publicæ summæ de fendenda iam pridem apud nos excubare.* Id est, vigilare. Horatius, l. 4. Od. 13. v. 6. de Cupidin.

Ille virentis, &  
 Doctæ psallere Chire  
 Pulchris excubat in genis.

<sup>5</sup> Gabrias. Fab. IV. Carnearius, Fab. CXLIX. Faernus, Fab. V. P. Targa, Fab. 12. Verdizoti, pag. 188.

<sup>6</sup> Publius Syrus, v. 789.

Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.



## FABULA VIII.

*Canis mordax.* <sup>7</sup>

MORDERE prætereuntes afflueto Cani  
 Appenderat herus parvum tintinnabulum,  
 Ab eo cavendum ut omnibus notesceret.  
 Hoc ille signo gloriatus est, quasi  
 Virtutis esset præmium sibi datum.  
 Quod aliquis animadvertens: Frustra, ô pessime,  
 Tibi plaudis, inquit: nam æris istius sono  
 Quisque admonetur de tuâ pravâ indole.

Fabella quosdam carpit, vertere qui sibi  
 Tentant honori infamiæ turpem notam.

## FABULA IX.

*Hirundo & Luscinus.* <sup>8</sup>

OBSTREPERE solita quamlibet circa domum  
 Hirundo, amœnam fortè solitudinem,  
 Petierat. Ibi Luscinium <sup>9</sup>, qui lauro super  
 Virente placidus otiaretur, videns:  
 Suaves canoro gutture te quidem ferunt  
 Emittere sonos, dixit: nil tamen hæctenus  
 Ejusmodi ex te audire nobis contigit:

<sup>7</sup> Benferade, Fab. XCIX. Æsopus, Fab. CCXIV. Avienus, Fab. VII.  
 P. Targa, Fab. 132.

<sup>8</sup> Camerarius, Fab. CCCLXIV.

<sup>9</sup> Consule not. ad Fab. XXVII. L. VI.

Ego verò ubique personans, vocis meæ  
 Impertio lubens omnibus dulcedinem :  
 At tu canendi singularis artifex  
 Si jure diceris, urbes cur porro fugis,  
 Hominumque cœtus? ne tibi laudes negent  
 Meritas, vereris? an times potiùs, tuam  
 Dum conscius ipse agnoscis imperitiam,  
 Ne fortè coram judicibus idoneis  
 Siftaris irridendus; & prudens lates?

Retulit Luscinius: Urbes, & homines habent,  
 Quæ mihi placere poterant: tamen ante omnia  
 Molles beati ruris deliciae placent;  
 Ac inter illas vivere, & mori velim  
 Inglorius. Huncce cur libeat morem sequi,  
 Turpes mihi causas imperitiæ objicis:  
 Tamen ipse dicam simpliciter: cantus meos  
 Dare combibendos <sup>1</sup> delicatis auribus  
 Minimè recusem, si qua necessitas ferat;  
 Neque me despicio, neque peritos judices  
 Horresco stultè timidus: at facile est mihi  
 Urbis carere turbulentis æstibus,  
 Placidoque ruris otio dulce est frui.  
 Neque te videre possum quid tantùm juvet  
 Circùm superbas ædes, & palatia

<sup>1</sup> Cicero, de fin. bon. & mal. L. 3. C. 2. *Quas* (artes) *si* combiberit.  
 Persius, Sat. 4. V. 52.

Nequicquam populo bibulas donaveris aures,  
 Horatius, L. 2. Od. 13. V. 31.

Pugnas & exactos Tyrannos,  
 Densum humeris, bibit aure vulgus.

Propertius, L. 3. Eleg. 4. V. 8.

Incipe: suspensis auribus ista bibam.



Volitare, cùm debueris ipsa sæpius  
 Perspicere, quantùm cunētis <sup>2</sup> auribus tuæ  
 Asserre soleant cantilenæ tædium.

Plerumque contra, quàm fas & ratio velint,  
 Lucein indoctus amat publicam, doctus fugit.

## FABULA X.

*Ensis & Vomer.* <sup>3</sup>

**P**ROCU L hinc recede, fordidâ ne me inquines  
 Confortione, dixit Ensis Vomeri.

At ille contra: Cur me, ait, sic despicias,  
 Superbe? Ferrum tibi pater est; est & mihi.

Deinde mihi quantùm debeas, an te latet?

Nam si otiosus non profcinderem solum,

Ut fruges, quæ tuam <sup>4</sup> herilem reficiant manum,

Nascantur, illa nonne mox languesceret?

Tunc te quid fieret? fortè in angulo jacens

Tenebricoso duceres turpem situm.

Agricola eodem profus, ac Miles luto

Confictus est; sed ille præstat alteri,

Quòd operam nobis præbeat magis utilem.

<sup>2</sup> Phædrus, L. 3. Fab. 18. V. 3. de Luscinio:

Illum esse cunētis auribus admirabilem.

<sup>3</sup> La Motte, Lib. III. Fab. XIV.

<sup>4</sup> Terentius, Eun. act. 5. Sc. 5. V. 20.

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium.

Phorm. act. 1. Sc. 1. V. 5.

Nam herilem filium ejus duxisse audio

Vxorem,



## FABULA XI.

*Hariolus sibi non providens.*

**H**ARIOLUS olim cùm foleret in foro  
 Suam futuri venditare scientiam,  
 Miserosque pauper ageret interim dies;  
 Uñ peritus <sup>5</sup> aliquis: Quomodò, ait, fidem  
 Tibi possim habere, cùm ipse non prævideris  
 Tua fata, teque certò periturum fame,  
 Artem nî abjicias hanc modò tuam futilem,  
 Aliamque discas, quâ tibi victum pares?  
 Malè prævidet ille, qui sibi non providet.

## FABULA XII.

*Opilio & Oves.* <sup>6</sup>

**A**DEONE vobis cæcus illudit pavor,  
 Ut, cùm coactæ fitis in tantum gregem,  
 Unus, nec ipse mole major corporis,  
 Vos terreat, in fugamque convertat Lupus,  
 Demumque prædam facilè sic tollat suam?  
 At si Latronem occidere, ac discerpere  
 Nimis benigna vestra non fert indoles,  
 Obfistere saltem audete, ne quid audeat.

<sup>5</sup> Phædrus, L. 3. Fab. 3. V. 1.  
 Uñ peritus hariolo velocior  
 Vulgò esse fertur.

<sup>6</sup> La Fontaine, Lib. IX. Fab. XIX. Abstemius, Fab. CXXVII.

Orationem hanc Opilionis approbant;  
 Deincepsque vim se vi repulfuras fore  
 Spondent Bidentes. Credidit Opilio bonus<sup>7</sup>:  
 Et quo quietis possiet aliqua pars capi,  
 Tempus sibi esse satis idoneum ratus,  
 Secessit, & supinus<sup>8</sup> somno se dedit.  
 At mox gregatim celeri pede fugientium  
 Multus Bidentum strepitus ipsum suscitavit.  
 Fugæ ille causam quærit, & nullam invenit,  
 Perflante nisi quòd vento inhorruit<sup>9</sup> rubus.  
 Augetur ipso imbellium numero pavor.

## FABULA XIII.

*Ardea & Pisces.*<sup>1</sup>

TENUIBUS & proceris nixa cruribus,  
 Longoque collo, rostro longo prædita  
 Stabat silentis Ardea<sup>2</sup> lacûs in vado;  
 Et expectabat, si qua fors occurreret

<sup>7</sup> Horatius, L. 2. Sat. 3. V. 31.

O bone, ne te  
 Frustrare; infanis & tu, stultique prope omnes.

<sup>8</sup> Horatius, L. 1. Sat. 5. V. 19.

Stertitque supinus.

<sup>9</sup> Horatius de Hinnuleo, Lib. 1. Od. 23. V. 5.

Nam seu mobilibus veoris inhorruit  
 Ad ventum foliis, seu virides rubum  
 Dimovère lacertæ;  
 Et corde, & genibus tremit.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. VII. Fab. IV. Bourfault in suâ Comœdiâ Æsopica  
 secundâ Act. 1. Sc. IV.

<sup>2</sup> Virgilius, Georg. L. 1. V. 363.

Notasque paludes

Deserit, atque altam supra volat Ardea nubem.

Ardea, gallicè *Heron*, paludes & lacus amat, è quibus visum  
 petere solet.



Idonea sibi præda. Pisces adnatant :  
 3 Barbus, Cyprinus, Perca, Tinca, Lucius,  
 Eunt, redeuntque : accedere propiùs videt,  
 Ut eligendi, capiendique jam labor  
 Superfit unus : at vel exiles nimis,  
 Parumve dignos, qui gulam 4 demulceant  
 Tam delicatam, reputat illa; & singulos  
 Superba omittit. Interim aliò Piscium  
 Sua turbam levitas, aut libido provehit;  
 Abitque tempus; & supervénit fames  
 Immodica. Vilis ac pusillus Gobio 5  
 Tunc fortè cæno emersus hùc adremigat.  
 Advertit omni vacua jam fastidio  
 Ardea; fatisque se beatam existimet,  
 Donare ventri talem si prædam queat.  
 Hiantis ergo rostri longitudinem  
 Demittit in aquas subitò : sed citatior  
 Aviditas frangit omnis vim solertiæ;  
 Vadumque turbat tantùm aberrans impetus  
 Hïc mœsta quidquam perlici posse Ardea

3 Barbum, Tincam, Lucium, qui gallicè vocantur *Barbeau*, *Teuche*,  
*Brochet*, Ausonius in suâ Mosellâ memorat, V. 134. 125. 122. Cy-  
 prinus, & Perca, dicti gallicè *Carpe*, *Perche*, à Plinio memoran-  
 tur, Hist. Lib. XXXII. Cap. XI. Carpam autem pro Cyprino legere  
 me apud Auctorem latinum nullum memini Cassiodoro antiquiorem:  
 qui quidem Lib. XII. Epist. IV. *Destinat*, inquit, *Carpam*  
*Danubius*.

4 Columella, L. 8. C. 16. *Subtiliorem facit gulam, doctaque & eru-  
 dita fastidiere docuit fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adver-  
 so torrente defatigasset.*

5 Columella, L. 9. C. 17. *Exiguus Gobio.* Juvenalis, Sat. II. V. 37.  
 Ne Mullum cupias, cum sit sibi Gobio tantum  
 In oculis.

Alius autem pelagicus est, alius fluviatilis. Gallicè *Gonjon*.





Desperat; infelixque litus deserit;  
 Abscedit, & limacem in immundum incidit;  
 Ipsumque, sprevit quæ optimos Pisces, vorat.

Sua qui fastidiosus respuit bona,  
 Meritò ille pœnas stultæ dat superbix.

## F A B U L A X I V.

*Asellus.*

LIBRUM elegantem quidam Afellus reperit;  
 Simul improbavit, atque discersit jocans.

Audaciorem stupiditas Criticum facit.

## F A B U L A X V.

*Talpa & Olitor.*

SUB humo, intubisque <sup>6</sup> rapulisque <sup>7</sup> confitâ,  
 Tenebricosum Talpa fodiebat larem:

Et: Fuerit Olitor, inquit, Argo oculatior,  
 Tam bene latentem si me deprehenderit.

<sup>6</sup> Virgilius, Georg. Lib. I. V. 120.

Et amaris intuba fibris.

Ad quem locum Pierius: *scribendum*, inquit, *Intuba per u. ex Antiquis plerisque codicibus tam Virgilianis, quàm Plinianis: Latina enim dictio est, neque admittit y.* Gallicè, *chicorée blanche.*

<sup>7</sup> Horatius, L. 2. Sat. 2. V. 43. de stomacho:

Rapula plenus

Atque acidas mavult inulas.

Sat. 8. V. 7. de Apro Lucano:

Acria circum

Rapula, lactucæ, radices.

Rapula, quæ & raphani, & rapæ, & rapa dicuntur, vocamus gallicè *raves* vel *raisforts*.



Sed glebulas dum trudit, & sursum aggerit,  
 Fit tumulus, operam qui latentis indicat.  
 Advertit Olor; infidiasque faucibus  
 Collocat in ipsis latebræ, & incautum capit.  
 Malefici semper aliquâ se produnt viâ.

## F A B U L A X V I.

*Ollae duae.* 8

O L L Æ peregrinari voluerunt duæ,  
 Una ænea, altera fictilis. Dixit prior:  
 Nam quò diversa sic abis, foror? mihi,  
 Quàm proximè licebit, esse velis comes:  
 Ab offendiculis liberam tibi viam  
 Præstabo; teque dura fragilem protegam.  
 Imprudens illa paruit: sed invicem  
 Dum gradibus ambæ, quippe tripedes, ambulant  
 Male temperatis, dura fragilem conterit.  
 Ne societatem inire cum potentibus  
 Collibeat, homines fabula tenues monet. 9

8 La Fontaine, Lib. V. Fab. II. Benferade, Fab. CII. Æsopus, Fab. CCXCV. Avienus, Fab. XI. Faernus, Fab. I. P. Targa, Fab. IV. Verdizotti, pag. 54.

9 Ecclesiasticus, Cap. XIII. V. 2. 3. *Ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit Caccabus ad Ollam? quanto enim se colliserint, confringetur.*





## FABULA XVII.

*Milui & Columbæ.* <sup>1</sup>

OLIM efferatis hinc & inde partibus  
 Inter latrones Miluos exarferat  
 Civile bellum. Jam, protervis traditas <sup>2</sup>  
 Ludibria <sup>3</sup> ventis, mutuus crebras furor  
 Avulserat alas; multa jam teterrimis  
 Transverberata rostris, lacerata unguibus,  
 Data leto fuerant corpora; jamque plurimus <sup>4</sup>  
 Alto caducus <sup>5</sup> ab æthere pluerat <sup>6</sup> cruor.  
 Tenero Columbas corde præditum genus  
 Lucifica species tam horridæ cladis movet:

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. VII. Fab. VIII. Abstemius, Fab. XCVI. Jaius.  
 Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 742.

<sup>2</sup> Horatius, L. 1. Od. 26. V. 1.  
 Musis amicus, tristitiam & metus  
 Tradamprotervis in mare Creticum  
 Portare ventis.

<sup>3</sup> Virgilius, Aen. L. 6. V. 74.  
 Foliis tantum ne carmina manda;  
 Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

<sup>4</sup> *Plurima salus*, Terent. *Plurimus languor*, *Plurimus sol*, *Plurimus Pan*, Ovid. *Plurimus labor*, *plurima palla*. Horat. *Plurimus collis*, Virgil. &c. &c.


<sup>5</sup> Virgilius, Aen. L. 6. V. 481.  
 Belloque caduci

Dardanidæ.  
 Horatius, L. 2. Od. 13. V. 11.  
 Te, triste lignum, te caducum  
 In Domini caput immerentis.

L. 3. Od. 4. V. 42.  
 Scimus ut impios  
 Titanas, immanem que turinam  
 Fulmine iustulerit caduco.

Seneca, Natur. Quæst. L. 2. C. 23. de fulgure: *Credibile est & verissime ignem caducum excuti.*

<sup>6</sup> Virgilius, Georg. L. 4. V. 81.  
 Nec de concussa tantum pluitilice glandis.



Hos inter, ajunt, media <sup>7</sup> pax nisi venerit,  
 Brevi est futurum, ut deleatur funditus  
 Gens miluina. Hoc scilicet reputant malum  
 Benignæ, & esse præcavendum judicant :  
 Igitur precando, commonendo hoc denique  
 Proficiant, animos ut feroces molliant;  
 Induciasque suadeant, mox & rato  
 Utrinque scedere fanciant pacis fidem.  
 At ubi reliquit Miluos discordia,  
 In ejus expultrices <sup>8</sup> omnis impetus  
 Sceleratæ gentis versus est. Tunc sentiunt  
 Miseræ Columbæ, tutius nunquam bonis  
 Ævum esse, quàm cùm dissidium est inter malos

## F A B U L A XVIII.

### *Puella & Naias.*

**P**UELLA quædam lucidum ad fontem sedens  
 Suam in liquoris speculo <sup>9</sup> pulchritudinem  
 Inspicere amabat. Crevit interea sitis :  
 Hanc ut levaret, hausit aquam cavâ <sup>1</sup> manu :  
 At omnis inde perturbatus est liquor.  
 Ergo illa, quòd nil cernere jam possit, dolet,

<sup>7</sup> Virgilius, Aen. L. I. V. 348.

Quos inter medius venit furor.

<sup>8</sup> Cicero, Tuscul. L. 5. C. 2. *O vitæ philosophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum!*

<sup>9</sup> Phædrus, L. 1. Fab. 4. V. 3.

Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.

<sup>1</sup> Suetonius, de Octavio Aug. C. 91. *Stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.*





Queriturque. Naias imi fontis incola <sup>2</sup>  
 Emergit: Et: Te cernere ut possis, ait;  
 Quam tu fugâsti, expecta dum redeat quies.

Se noscere ipsum qui cupit, placidum sibi  
 Ut se ipse sistat, hâc monetur fabulâ.

## FABULA XIX.

### *Catellus & Molossus.*

**N**UMMIS Catellum viginti exiguissimum <sup>3</sup>  
 Venire in vrbe cùm videret Rusticus:  
 Tantine fieri, dixit animal tantulum?  
 Quid autem, quid si corporis amplitudine  
 Æqualis esset canibus nostris? Eugepæ!  
 Nos facere talem mercaturam convenit.  
 Rus ergo mox ille ad suum revertitur;  
 Molossumque simul horridum, immanem eligit;  
 Extrahit in vrbe; speque præsumens lucrum,  
 Venalem exponit nobili mulierculæ:  
 At hujus famulis traditus ludibrio,  
 Fructum labori ridiculo parem tulit.

Non omnis, quo magis ampla, merx proba hoc magis:  
 Est, quam commendat delicata exilitas.

<sup>2</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. VI. V. 6.

quædam tum Stagni incola.

<sup>3</sup> Ovidius, Heroid. Epist. 14. V. 115.

De fratrum populo pars exiguissima restas.



## F A B U L A   X X.

*Equus senescens.*

A N N O S apud herum divitem multos Equus,  
 Omni bonorum instructus affluentia,  
 Et dulce, nulloque unquam corruptum gravi  
 Labore captans otium, peregerat.  
 At cum senectus adveniret, & dies 4  
 Auferret aliquod usque spoliū 5 corporis,  
 Mox ille coepit negligi, mox despici,  
 Mox odio haberi: pertrahendo denique  
 Plauftro admovetur. Tum suam infelix vicem  
 Dum queritur; alius quadrupes, cui se additum  
 Tam duro in opere faciendo socium dolet:  
 Age sanus, inquit, hoc reputa, laboribus  
 Nos esse natos perferendis maximis:  
 Vanisque fortem exasperare questibus  
 Jam desine. Tristis autem socius hæc refert:  
 Disparibus agimur Fatis: miserias enim  
 Tu nostri tantum; easque passus tamdiu,  
 Ferre didicisti: contra verò mollibus

4 Virgilius, Aen. L. II. V. 425.

Multa dies variusque labor mutabilis ævi  
 Retulit in melius.

Cicero, ad famil. L. 5. Epist. 16. *Quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus.*

Horatius, L. 3. Od. 6. V. 45.

Damnosa quid non imminuit dies?

5 Seneca Trag. Hippol. V. 772.

Nullaque non dies  
 Formosi spoliū corporis abstulit.



Ego in deliciis antea usque vixeram;  
 Et nunc eò redire adextremùm mihi  
 Rem video, ut illum proprio exemplo probem  
 Bis esse miserum, qui ex beato fit miser 6.

## F A B U L A XXI.

*Avis solitaria.* 7

P R O C U L remota ab omni consuetudine  
 Volantum, & inæ vallis in sinu latens  
 Amœno, placidos quædam Avis agebat dies,  
 Vitæ sed illa solitariæ tamen  
 Sensit aliquando tædium; & se protinus  
 Inferre statuit cœtibus gentis suæ.  
 Migrat. Strepentem Corvorum in turbam incidit:  
 Hos turpibus rapinis fuetos 8 vivere,  
 Edacitate fœdâ percitos, gulâ  
 Stimulante atroces, pro cibis leviïssimis  
 Querelas, rixas, pugnas rostro & unguibus  
 Movere ferreâ obstinatos 9 indole,  
 Discordiarum perpetuus agitat furor.

6 Boetius, Consol. Philos. L. 2. prosâ 4. *In omni adversitate Fortunæ infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem.* Cicero, Part. Orat. C. 57. *Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser.*

7 Richer, Lib. III. Fab. XXI.

8 Horatius, L. 1. Sat. 8. V. 17.

Furesque, feræque suetæ

Hunc vexare locum.

Virgilius, Aen. Lib. 3. V. 54r.

Curru succedere iusti

Quadrupedes.

9 Vide annot. ad L. 10. Fab. 24.



Paulisper ergo suffinere vix potest  
 Avis pacifica tale contubernium:  
 Refugit. Hinc ad Aquilarum contendit gregem.  
 Nobilibus illæ, & gloriosis artibus  
 Se devoverunt: laudis ad fastigium  
 Animos volentes usque & usque fuscitant  
 Generosa studia: sed simul ambitio mala,  
 Simul ferocibus odiis crudelitas  
 Exasperata nunc per occultum nefas,  
 -Nuncque per apertos & violentos impetus  
 Patrare suadent omne criminum genus;  
 Nec judicatur quidpiam illicitum, modò  
 Huic dignitatem grandis eventus paret.  
 Simul atque sensit factiones improbas  
 Avis modesta, & ausus tam nefarios,  
 Exhorruit, & recessit. Paulò post videt  
 Valle in reductâ serpere illimes <sup>1</sup> aquas,  
 Frondere densas arbores: audit fonos  
 Arte modulatos <sup>2</sup> musicâ: hùc delabitur.  
 Avesque gaudet reperisse deditas  
 Studio Canendi: Ibique, quam quæro, nisi  
 Habitat voluptas, non habitat, ait, uspiam.

<sup>1</sup> Ovidius, *Metam.* L. 3. V. 407.  
 Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

<sup>2</sup> Horatius, *L. 1. Od. 32. V. 3.*  
 Age, dic latinum,  
 Barbite, carmen,  
 Lesbio primùm modulate civi.

Quintilianus, *Instit. Orat.* L. 9. C. 2. pag. 777. Edit. Burm. *Quo-  
 nomen ductum & canticis ad aliorum similitudinem modulatis.*  
 Suetonius, *Octav. Aug. C. 57. Revertentem . . . modulatis car-  
 minibus prosequantur.*

At misera doctas cantrices diffensio  
 Perturbat: omnes laudis immodicus tenet,  
 Et macerat amor: nulla ferre suam potest,  
 Dignamve laude justâ censere æmulam:  
 Hinc livor, & similtas, & calumnia  
 Ultro, citroque <sup>3</sup> commeantes sæviunt,  
 Luctumque spargunt. Hæc mala videt, & gemit  
 Avis benigna; mox & infidum nemus,  
 Sedesque falsâ specie blandas deferens:  
 Repetamus, inquit, nostram solitudinem:  
 Quod cupimus, nostro gerimus in sinu bonum;  
 Alibique frustra quæritur felicitas.

## FABULA XXII.

*Mustela, Cuniculus, & Felis.* <sup>4</sup>

MUSTELA vacuum cùm Cuniculi domum  
 Fors reperisset, subiit, & propriam sibi  
 Facere decrevit. Interim è pastu redux  
 Cuniculus, ubi vidit hospitam novam,  
 Hos jure monuit esse hæreditario  
 Suos penates: egredique protinus  
 Vellet, rogavit. Illa verò quamlibet

<sup>3</sup> Cicero, de Nat. Deor. L. 2. C. 30. *Sic naturis his, ex quibus omnia constant, ultro citroque commeantibus, mundi partium conjunctio continetur.* Orat. pro M. Coelio, C. 16. *Cujus in hortos... Libidines omnium commearent.* Seneca, de Benef. L. 5. C. II. *Beneficium & gratiæ relatio ultro citroque ire debent.*

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. VII. Fab. XVI. Jaius Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 750. Specimen sapientiæ Indorum, Sect. IV. pag. 265. Edit. Starkii.



Terræ esse partem cui libet propriam negat;  
 Et se juvari lege Naturæ, & frui  
 Primi occupantis jure, contumax refert.  
 Contentioni postquam inutili datus  
 Utrinque locus est, Felem ad extremum placet  
 Eligere litis finiendæ <sup>5</sup> judicem.  
 Hæc vetula, vitam quæ nefariam sibi,  
 Assiduis aucta furtis, prorogaverat,  
 Sanctoque vultu tegere fraudes impias  
 Pulchrè didicerat, læta clientes excipit:  
 Et lis, ait, omnis vestra dirimetur brevi:  
 Accedite modò; namque paulò furdior  
 Effecta sum; ætas attulit id incommodi  
 Frovecta <sup>6</sup>; propius, filioli, huc accedite.  
 Parent. Satis illa sibi propinquos ut videt,  
 Rapacem utrique hinc inde falculam <sup>7</sup> injicit,  
 Litemque dirimit, litigantes dum vorat.

Periculosum est hominibus, cum dissident,  
 Potentiorum ad arbitrum recurrere.

<sup>5</sup> Virgilius, Aen. L. II. V. 116.

Si bellum finire manu, si pellere Teucros  
 Apparat.

Ovidius, Am. L. I. Eleg. 13. V. 47.

Jurgia finieram. Scires audisse: rubebat.

<sup>6</sup> Cicero, Tuscul. L. I. C. 39. *Ex his (bestiolis) horâ octava qua mortua est, provecta ætate mortua est; quæ vero occidente sole, decrepita.*

<sup>7</sup> Animalium unguis rapacium rectè vocantur falcule. Hinc falcones dicti, ut monet Festus: atque Plinius, Hist. L. 8. C. 15. *Mirum, inquit, pardes, pantheras, leones, et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur, habeturæ, ingredi; aversisque falcibus currere.*



## FABULA XXIII.

*Senex & Mors.* <sup>8</sup>

ANNOS homo centum qui fere compleverat <sup>9</sup>,  
 Demum advenire Mortem fenfit; &, nimis  
 Properanter illam sic agere fecum, querens,  
 Oravit, ut ne priùs obire cogeret,  
 Perfecta quàm eſſent ſua quædam negotia:  
 Saltem expectaret, dum ex nepote filii  
 Brevi futuras concluſiſſet nuptias;  
 Factoque rite teſtamento, ab omnibus  
 Remotam rixis familiam relinqueret:  
 Quòd ſi migrandum hinc ſibi fuiſſe tam citò,  
 Præmonitus eſſet. . . Hic Senem ultra Mors loqui  
 Non paſſa: Funeris habet mille nuntios  
 Senectus longa, dixit; & prædam abſtulit.

## FABULA XXIV.

*Testudo & Anates duæ.* <sup>1</sup>

PEREGRINANDI varias in mundi plagas  
 Teſtudinem olim cupiditas maris incolam

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. VIII. Fab. I. Abſtemius, Fab. XCIX. Pilpay, pag. 153.

<sup>9</sup> Cicero, de ſenect. C. 5. *Leontinus Gorgias centum & ſeptem annos complevit.*

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. X. Fab. III. Specimen ſapientie Indorum, Sect. 1. pag. 119. Edit. Starkii. Camerarius, Fab. CCCLXXX. Jaius Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 749. *cujus verba non pauca retinimus.*




Incessit <sup>2</sup>. Adeò, dici quod vulgò solet,  
 Verum est: Tardipedes <sup>3</sup> stare vix posse in loco.  
 Hæc conspicata fortè pascentes duas  
 In litore Anates: Vos ô felices, ait,  
 Quibus remotas visere licet, cùm libet,  
 Regiones! Nostra non obesset tarditas;  
 Et illa, quam gestare cogimur, domus  
 Non impediret; hoc mihi mare protinus  
 Deferere, meque terras hinc ad ultimas  
 Transferre libeat. Ista ne te maceret  
 Libido, dicunt Anates; ipsam, si velis,  
 Nos ambæ facilè explere, statimque, possumus.  
 Se spondet autem beneficii memorem fore  
 Testudo. At illæ, ramus ut fortè arboris  
 Excisus aderat, tollunt, atque: Tu, inquit,  
 Hunc stringe medium dentibus, quantum potes;  
 Aptantesque per os Domiportæ <sup>4</sup> simul inferunt;  
 Monentque, caveat, ne de causâ quâlibet  
 Dimittat unquam sic arreptum mordicus:  
 Ipsæque mox, ejusdem extremis virgulæ  
 Partibus utrinque pariter admorsis, volant,  
 Nostram & per auras efferunt Testudinem.

Res visâ cùm esset proximi pagi incolis,  
 Stupuerunt omnes insolens spectaculum;

<sup>2</sup> T. Livius, L. 24. C. 13. *Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potius.*

<sup>3</sup> Actuosus & inquietus erat Vulcanus, quem tamen Catullus, Columella, & alii Tardipedem vocant.

<sup>4</sup> Vocem hanc, quâ usus est vetus poeta ut Cochleam significaret, non esse, nisi per jocum, adhibendam censemus. Consulê Ciceronem, de Divinat. L. 2. C. 64.



Et clamitantes ire per arduum æthera  
 Testudinem, immo Reginam Testudinum,  
 Eam salutant. Stulta gestit, & impotens,  
 Lætitiae inanis: Verè ait Regina sum.  
 Tacuisset illa, fecisset prudentius:  
 Namque os apertum sustinentem virgulam  
 Postquam reliquit, ipsa duris cautibus  
 Illisa periit. Sic, mala curiositas  
 Quod meruit, inepta gloriatio attulit.

## F A B U L A XXV.

Ad Isaacum Belletum Doctorem medicum.

*Formicae duae.*

TU A, Bellete, jucundâ morum indole  
 Tuâ doctrinæ varietate amabili,  
 Tuâque facilis & elegantis ingenî  
 Festivitate huc usque dumtaxat mihi  
 Aut ægritudo mentis, aut hujusmodi  
 Sensim levare quodpiam potuit malum:  
 Tuâ sed arte nuper, ac vigilantia  
 Assiduâ & efficaci bis veterem meum  
 Amicum 5 morte liberasti proximâ:  
 Quapropter habeo gratiam tibi maximam.  
 Mihi verò talem ne salutiferam tuam  
 Cogaris olim similiter operam dare,

5 Carolum Aloysium VEL, tunc meum in Collegio nostro Parisiensi con-  
 tubernalem, nunc exulem.

Caveo meherclè diligenter: & cibus  
 Ob id ipsum mihi vulgaris ac tenuis placet;  
 Potentiumque vito mortiferas dapes:  
 Et aliqua verbis ut meis auctoritas  
 Accedat, esto talis exempli fides.


Viles, parabilesque contentæ <sup>6</sup> cibos  
 Adhibere, vitam sustinebant commodè  
 Duæ Formicæ. At una quondam tædio  
 Affecta, fortisque melioris appetens,  
 Discedere domo cœpit paulò longiùs,  
 Dum perveniret denique in quoddam horreum  
 Bellariorum omni refertum copiâ.

O Jupiter, ait, hospitalis, quod bonum  
 Mihi venit hodie, perpetuum facias precor!  
 Simulque dulcem, saccharum, dapem eligit;  
 Comeditque, si non aviditas quantum jubet,  
 At parva quantum continere alvus potest.  
 Opipare pransa pauperem ad cellam redit;  
 Limenque vix ingressâ narrare incipit  
 Omnem munificæ Sortis oblatam sibi  
 Benignitatem; & hujus in partem boni  
 Invitat ultro sociam, & admovet preces  
 Sollicita blandas. Illa verò pertinax  
 Repugnat: Cùmque nunc satis bene fit mihi,  
 Periculosum judico, inquit, ô foror,  
 Studio & labore, meliùs ut sit, distrahi <sup>7</sup>.

<sup>6</sup> Vell. Paterculus, Lib. II. Cap. XLIX. *Contentus cum una legione titulum retinere provincie*

<sup>7</sup> Cicero, Acad. L. 4. C. 34. *Distrahor: cum hoc mihi probabilius, tum illud videtur.* De Offic. L. 1. C. 3. *Anime in contrariis*





Sed altera nil jam, nisi degustatas semel  
 Delicias, cupiens, ordinariam <sup>8</sup> terit  
 Escam superbo dente, & in ægram nauseans  
 Demittit alvum; & quàm licet sæpissime <sup>9</sup>  
 Revisit, quod jam diligit unicè, horreum.  
 Intemperanti dum sic obsequitur gulæ,  
 Se facere credit stulta multum corporis:  
 At vilibus olim venter assuetus cibus,  
 Offenditur istis delicatioribus,  
 Quorum usus etiam largior damnum aggravat.  
 Demum illa vitam dum sibi vult reddere  
 Jucundio rem, multò brevior em efficit:  
 Miseræque funus bestiolæ curat foror,  
 Mœsta quidem, sano sed vigen s corpusculo.

Admonitus hoc exemplo magna divitum  
 Contemnere pauper facilè possum prandia.

## F A B U L A XXVI.

*Corvus & Lepus.*

PER odora rura dum thymum carpit Lepus;  
 Volans per auras hunc simul Corvus videt,  
 Simulque venatores aspicit procul:

*sententias* distrahuntur. Vell. Paterculus, L. 2. C. 114. Di-  
 stractissimus ille tantorum onerum mole animus. Seneca, Epist. 2.  
 Distrahit animum librorum multitudo.

<sup>8</sup> T. Livius, L. 7. C. 43. Non id tempus esse . . . quo consiliis or-  
 dinariis . . . bellum gereret. Seneca, de Benef. L. 8. C. 28.  
 Ordinarium officium.

<sup>9</sup> Sallustius, Jugurt. C. 63. Fortunam quàm sæpissime experiretur:  
 cuncta prospere eventura.

Miseramque pecudem nisi, ait admoneam citò,  
 His facilè fiet præda venatoribus.  
 Delapsus ergo postquàm confedit solo,  
 Leporem quietum hortatur monitor anxius,  
 Fugiat, suumque in latibulum se recipiat,  
 Ac venatorum vitet adventum, & necem.  
 His ille monitis paruit, falsis licèt;  
 Nam venatores aliò cursum verterant <sup>1</sup>.  
 At Corvus, ut humo tollere se tentat, pedes  
 Retineri sentit impeditos cassibus,  
 In quos latentes induit se improvidus,  
 Saluti alterius providere dum cupit.

Rebus alienis qui student vigilantius,  
 Quàm fit opus, hi sæpe nihil in propriis vident.

<sup>1</sup> Virgilius, Aen. L. 3. V. 145.

Vnde laborum  
 Tentare auxilium jubeat, quò vertere gressus.





# FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER OCTAVUS.



## PROLOGUS.



**B**is mille ante annos, terque centum circiter,  
Fortunæ crimen alti dotes ingenî  
Cùm vindicâssent <sup>1</sup>, Phryx Æsopus exiit  
E servitute, Sardibusque floruit,  
Regnante Cræso: hîc forte prosperâ fruens,  
Suoque summè gratiosus <sup>2</sup> Principi,  
Quas, libertate dum careret, fecerat,  
Collegit ipse, & publicavit fabulas.

<sup>1</sup> Vell. Paterculus, L. 2. C. 126. *Fortuita, non Civium tantummodò, sed urbium damna Principis munificentia vindicat.*  
Phædrus, L. 1. Fab. 21. V. 6.

Et vindicavit istu veterem injuriam.  
L. 4. Fab. 17. V. 26.

Reclamant omnes vindicandam injuriam.  
<sup>2</sup> Cicero, Orat. pro Planc. C. 19. *Deceox gratiosum esse tribulibus Plancium.*



Hæ notuère in Græciâ; has & favor  
 Exceptit ingens, has librarius frequens  
 Exscripsit, omnium his infudavit manus:  
 Et quia potentes & humiles, pueri & fenes,  
 Sophique & ipse Socrates eas probè  
 Discebant, ac tenebant etiam memoriter 3;  
 Quosdam impulère hæc, falsam ut induerent 4 sibi  
 Persuasionem, nullas unquam literis  
 Mandâsse Æsopum fabulas; tantummodò  
 Recitâsse, quas fecisset; denique has diu  
 Non aliter, hominum quàm per ora traditas  
 Percrebuisse. At Græcis illum ceteris  
 Scriptoribus omnis annumerat Antiquitas 5.

Neque tamen omnes, quæ sub ejus nomine  
 Circumferuntur, Apologorum texuit  
 Narrationes: immo verò vix licet  
 Dubitare, quin plerasque temeritas rudis  
 Librariorum eas interpolaverit 6;  
 Quasque edidit, harum plurimas affluxerit 7

3 Terentius, Eun. Act. 5. Sc. 3. V. 6.

Cognoscit ne? R. Ac memoriter.

4 Quintilianus, Instit. Orat. L. I. C. I. *Falsam sibi scientiæ persuasione induerunt.*

5 Aristophanes in Avibus, V. 471.

Οὐδ' Ἀἴσωπον πεπάρτηκας:

*Æsopum non trivisti.* Di cere autem Aristophanes rectè non potuisset auctorem hunc terti, sive legi, cujus scripta non existissent. Vide etiam scholia veteris Interpretis ad hunc locum.

6 Cicero, Orat. in Verr. L. I. C. 61. *Referendo in tabulas . . . semper aliquid demendo, mutando . . . interpolando.*

7 Cicero, Orat. in Anton. I. C. 3. *Fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, latius.* Orat. pro Cluent. C. 4. *Faciam, ut intelligatis, quid res tulerit, quid error affluxerit, quid invidia contulit.*

Planudes <sup>8</sup> ille, Maximus prænominè,  
Re fabulator, & nugator maximus.

Sed fraude quamvis barbarâ fere omnibus  
Æsopi, quales nunc habemus, fabulis  
Inducta forma est deterior; illæ tamen  
Facetæ adhuc sunt, & valent reconditis  
Sententiarum, luminumque dotibus.  
Certè Apologorum semper unus hic mihi  
Thesaurus <sup>9</sup> esse visus est sanè utilis.  
Secutus ergo exempla multorum, hinc opes  
Assumere mihi idoneas non desiti;  
Isthuncque porro confeci omnem prologum,  
Ne quis beneficii inmemorem me diceret.

## F A B U L A I.

### *Momi censura.* <sup>1</sup>

OPUS quisque suum absolverant, Taurum quidem  
Neptunus, hominem Jupiter, Pallas domum:  
Morum advocârunt: Et: Super his quid sentias,  
Ediffere nobis, inquiunt. Postquàm fatis

<sup>8</sup> Maximus Planudes vitam Æsopi scripsit, vel potius ineptè diffinxit, fabulasque edidit, quæ sub ejus nomine circumferuntur, nisi quòd ex earum numero centum triginta sex, nomen ejus, à quo editæ fuerint, non præferentes, è Bibliothecâ Palatinâ de promptu Isaacus Nicolaus Neveletus, typisque excusas luce publicâ donavit anno 1610. Constat autem Planudem nostrum anno 1347. adhuc inter vivos existisse: at longè absunt à vero, qui vixisse illum decimo quinto seculo, Concilioque Basileensî interfuisse comminiscuntur.

<sup>9</sup> Cicero, de Orat. L. I. C. 5. *Quid de thesauro rerum omnium memorid?*

<sup>1</sup> Richer, Lib. II. Fab. IV, Æsopus, Fab. CXCIII. Faernus, Fab. XCII. P. Targa, Fab. 96.

Cuncta ille sese examinâsse credidit:  
 Cur non sua Tauro cornua infra oculos, ait,  
 Sunt collocata, ut melius ictum dirigat?  
 Certè Hominis pectus, perfidis plenum dolis,  
 Non occulendum, sed fenestrandum <sup>2</sup> fuit.  
 Istique Domui nonne oportuit rotas  
 Submitti, ut possit, quò libet, circumvehi?  
 Industria quidquid summa, & eximius labor  
 Perficiant, semper aliquis obtrectaverit.

## F A B U L A II.

*Papilio & Apis.* <sup>3</sup>

P A P I L I O volucer <sup>4</sup>, florum amator frivolus <sup>5</sup>,  
 Dum levibus alis visere <sup>6</sup> ad cunctas opes  
 Redolentis horti properat, & violæ modò,  
 Modò calthæ inane libat osculum, & fugit,  
 Rosæ infidentem mollibus foliis Apem,  
 Dulcesque succos exprimentem naviter

<sup>2</sup> Plin. Hist. L. XI. Cap. XXXVII. Paulo longius ab initio: *Media eorum* (oculorum) *cornea fenestrat pupilla*. Vitruvius, Lib. III. init. *memoratur* (Socrates) *dixisse, oportuisse hominum pectora fenestrata & aperta esse.*

<sup>3</sup> Commirius, Tom. 1. Edit. 1714. pag. 308.

<sup>4</sup> Ovidius, Metam. L. 9. V. 481.

Volucer tenerâ cum matre Cupido.

<sup>5</sup> Suetonius, Claud. C. 15. *Inconsultus ac præceps, nonnunquam frivolus, amentique similis.*

Phædrus, L. 3. Fab. 6. V. 8.

Quapropter aufer frivolam insolentiam.

<sup>6</sup> Terentius, Hecy. Act. 1. Sc. 2. V. 114.

It visere ad eam.

Act. 3. Sc. 2. V. 4.

Nunc ad eam visam.

Vidit, & accedens subſtitit aliquantulum,  
 Tam pertinacem illius diligentiam  
 Ut irrideret. At ea nihilo ſegniùs  
 Opus exſecuta: Fuites, inquit, jocos  
 Refellere verbis neque lubet, neque expedit;  
 Illud monebo tantùm: Qui dulce utili ?  
 Miſcuit, is omni dignus eſt ſuffragio.

## FABULA III.

*Divinus.* <sup>8</sup>

VENTURA fallax dum Divinus <sup>9</sup> in foro  
 Prænuntiabat, verus illi nuntius,  
 Suam patere foribus effractis domum,  
 Neque reliquum intus eſſe jam quidquam boni,  
 Repentè vênit. Ergo, quò damnum vocat,  
 Homo meus ire properat. Tunc adſtantium  
 Unus: Alienam quis jam, ait, fortem putet  
 Te prævidere, cùm tuam haud prævideris?

Ad hos fabella pertinet, qui res amant  
 Alienas curare, propriasque negligunt.

<sup>7</sup> Horatius, Ar. poet. V. 343.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dolci.

<sup>8</sup> Benſerade, Fab. CLXXII. Æſopus, Fab. XL. Faernus Fab. LXXII.  
 P. Targa, Fab. 67.

<sup>9</sup> Cicero, de Fato, C. 8. *Falli ſperat Chaldaeos, ceterosque Divinos.*  
 Horatius, L. I. Sat. 6. V. 113.

Fallacem Circum, veſpentinumque pererro  
 Sæpe forum: aſſiſto Divinis.





## F A B U L A I V.

*Accipiter & Noctua.* <sup>1</sup>

ACCIPITER olim Noctuæ promiserat,  
 Et obligârat jurejurando fidem,  
 Pullis ab ejus, quamvis urgeret fames,  
 Et rostrum & unguis cohibiturum se fore <sup>2</sup>.  
 At ne qua forsâ cupiditas, inquit, mala  
 Olim in tuorum damna me inscium ferat,  
 Ediffere, hos porro <sup>3</sup> quibus agnoscam notis.

A ceterarum fetibus avium meos  
 Distinguere tibi est facile, dixit Noctua:  
 His nulla namque mater edidit pares:  
 Adeò venustam corpore speciem gerunt,  
 Tam singulari florent pulchritudine!  
 Probè meminero cuncta, discedens ait  
 Accipiter; & cavebo, ne nostra indoles  
 Aliquid in tales formas <sup>4</sup> audeat mali.

Postridie auras dum volando circinat <sup>5</sup>  
 Jejunus, ultra ferre nec potest famem,

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. V. Fab. XVIII.

<sup>2</sup> Cicero, Orat. pro L. Manil. C. 23. *Qui ab auro, gazâque regia manas, oculos, animum cohibere possit.*

<sup>3</sup> In voce *porro* corripit ultima Syllaba potest. Juvenalis, Sat. 7. V. 98.  
 Vester porro labor fecundior, Historiarum  
 Scriptores.

Statius, Theb. L. 7. V. 544.

Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis  
 Spirat adhuc, pinguisque meo. Tu porro sequeris?

<sup>4</sup> Terentius, Eun. Act. 2. Sc. 3. V. 5.

Cum ipsum me nostris, quam elegans formarum spectator sum.

<sup>5</sup> Ovidius, Metam. Lib. II. V. 720.

Sic super Actæas agilis Cyllenius arces  
 Inclinat cursus, & easdem circinat auras.



Turris vetustæ latibula subitò petit:  
 Ibi per omnes quæritat prædam cavos;  
 Pullosque demum Noctuæ ipsos invenit:  
 Tenebricoso nidulo extrahit: videt  
 Tristes, horridulos: Nostraque his tam turpibus  
 Amica, dixit, vitam certè non dedit,  
 Quæ tam venustos, tamque pulchros educat:  
 Nec plura; simulque evisceratos devorat.

Hæc inficetum fabula indicat librum,  
 Quem si modesto venditari nuntio  
 Critici viderent, fors illæsum omitterent;  
 At, si elegantem stultus Auçtor prædicet,  
 Hi rite expensum acuto discernunt stilo.

## F A B U L A V.

*Melezia & Larix.*

I N Transpadano nemore nuper extitit  
 Meleziam inter & Laricem contentio.  
 Melezia prior: Sorte, ait, fatis meâ  
 Me gloriari, & esse contentam licet:  
 Apud omnes quippe Physicos nostri temporis  
 Peritiores nostrum & nomen & decus  
 Celebratur: dum te venditam judicant  
 Scriptorum inani veterum testimonio,  
 Priscâque laude destitutam vituperant  
 Critici sagaces. Contra sic retulit Larix:  
 Adjicere, stulta, debueras; etiam mihi



Has nunc negari dotes, ipsa quas dedit  
 Natura <sup>6</sup>: miram nempe in altitudinem <sup>7</sup>  
 Me surgere, quam tu sic pusilla vix potes  
 Aspicere; quolibet intemeratam tempore  
 Consistere mihi viriditatem frondium,  
 Ut nuda tu videbis, omni te simul  
 Honore Boreas ingruens spoliaverit;  
 Ac denique nullis ignium me viribus  
 Verti in favillas posse, quod certis sibi  
 Notum esse multisque experimentis graves  
 Et eruditi docuerunt olim viri.  
 Quid plura? debes vel tuis præconibus <sup>8</sup>  
 Fidem negare <sup>9</sup>, vel credere & id, quod volunt,  
 Me, qualis adsum nunc tibi, me scilicet  
 Nunquam exstitisse; teque flammis tam citò  
 Aboleri <sup>1</sup> facilem, te caducis frondibus  
 Instructam, Laricis esse reputandam loco.  
 Meum at tam dispar, tam longè præstans tuo  
 Genus reverere; cuius excellentiam,

<sup>6</sup> Plin. Hist. Lib. XVI. Cap. X. Larix . . . *Nec ardet, nec carbonem facit; nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides . . . Materies præstantior longè, incorrupta vis, emori contumax.* Vide & Vitruv. Lib. II. Cap. XI. sub fin. Porro quidam hodie Phyci contendunt Laricem, ab antiquis Auctoriis celebratam, nihil aliud esse, quam nostram Meleziam, quæ in provinciis Gallicæ quibusdam invenitur arbuscula pusilla, nec perpetuò virens, nec igni inviolabilis: ac proinde annumeranda esse fabulis, quæ de illa apud Plinium & Vitruvium narrantur.

<sup>7</sup> Plinius, ibid. *Picea minùs alta quàm Larix.*

<sup>8</sup> Cicero, Orat. pro Arch. Cap. 10. *O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris!*

<sup>9</sup> Ovidius, Metam. L. 7. V. 832.

Speratque miserrima falli;

Indicioque fidem negat.

<sup>1</sup> Lucanus, L. 2. V. 656.  
 Roma capi facilis.

Tacitus, Hist. L. 4 C. 39. *Corrumpi facilis.*



Laudemque fictas æstimare <sup>2</sup> fabulas  
 Critici si pergant, hoc sibi dictum putent:  
 Non semper inficiari licet, ubi non liquet.

## FABULA VI.

*Edera & Murus.*

PERMITTE, dixit Edera Muro blandiens,  
 Ut fragilis, & me sustinere nescia,  
 Tibi tam stabili, tamque firmo adhæream.  
 Haud renuit ille; at sentiens hanc postmodum,  
 Stirpibus hâc, illâc furtim permeantibus,  
 Cæmenta solvere, & lapidum compaginem  
 Laxare, queritur; herumque communem rogat,  
 Disrumpere velit nexibus confortium <sup>3</sup>  
 Malè ominatis initum, & ejicere procul  
 Plantam nocivo sibi jugatam fœdere.

Audit querentis herus preces, & approbat;  
 Stirpesque tentat noxias revellere;  
 At cùm per omnes Muri penetrâssent cavos,  
 Tenacibusque hærerent internodiis,  
 Non possè jam revelli eas intelligit,

<sup>2</sup> Phædrus, L. 3. Fab. 4. V. 5.

Ridiculè magis hoc dictum, quàm verè, æstimò.

L. 4. Fab. 17. V. 15.

Turpe æstimantes aliquid commissum à suis.

Sallustius, Catilin. C. 31. Edit. Lips. 1724. ex Opt. Codd. *Ne æstimarent, sibi . . . perditâ Republicâ opus esse.* Inter fragmenta, Orat.

Lepidi: *Quæ ipsi nefanda æstimatis.* Martialis, L. 11. Epigr. 1. V. 7.

Ecquid te satis æstimas beatum?

<sup>3</sup> Celsus, L. 7. C. 27. *Cui (stomacho) cum vesicâ quoddam confortium est.*

Quin ipse Murus parte labefactus fuit  
 Majore, vel inclinetur, vel etiam ruat:  
 Ideoque, damnum ne eveniat majus, timens,  
 Malum dirimere non audet commercium.

Hunc fabula monet, quisquis arcto se finit  
 Temere alligari societatis vinculo.

## F A B U L A VII.

*Asinus Sophistæ cujusdam alumnus.*


S O P H I S T Æ <sup>4</sup> inepto, qui suis argutiis <sup>5</sup>  
 Apud popellum & futiles mulierculas  
 Illustre docti nomen acquisiverat,  
 Quidam Asinus operam dederat haud inutilem  
 Plures per annos: ad beatas denique  
 Dimittitur opes ruris, ubi molli otio  
 Reficere possit; dulcibusque carduis,  
 Fractum labore corpus, emeritus senex.  
 At ille, Domini qui sui ad loquentiam <sup>6</sup>  
 Industriamque singularem tandiu  
 Animum applicavit & facultates suas

4 Cicero, Acad. L. 4. C. 23. *At quis est hic? num Sophistes? Sic enim appellantur ii qui ostentationis aut quaestus causa philosophantur.*

5 Cicero, de Legib. l. 1 C. 2. *Cujus loquacitas habet aliquid argutiarum. . . . In orationibus autem multus & ineptus, ad summam impudentiam.* de Amic. C. 13. *Nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis.* Acad. L. 4. C. 23. *Cum res non bonas tractent, similes honorum videri volunt.*

6 Plinius, l. 5. Epist. 20. *Julius Candidus non invenisse solet dicere aliud esse elegantiam, aliud loquentiam. . . . Hæc, quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit.* Sallustius, C. 5. De Catilina; *Satis loquentis, sapiens parum.*





Olido & calente quod repleverat fimo;  
 Et in loquentis ora suffitum emovens:  
 Tibi, ô verendum gentis asininæ decus,  
 Tibi, bestiarum lumen & honor omnium,  
 Iste facer esto, qui te dignus est, vapor.  
 Dixit; simulque porcelli instituunt chorum,  
 Præeunte matre; tripudiantque & grunniunt.  
 Ubi verò odores affatim hausit fetidos,  
 Amplam Afinus approbationem sternuit.

Interea fortè Dominus hùc advenerat;  
 Atque ut probè ille bestiarum intelligit  
 Omnes agendi, vel loquendi formulas,  
 Attentus omnia inspicit, considerat;  
 Ebibit acutis auribus scientiam  
 Veteris Alumni, nec mirari non potest;  
 Et universæ concionis laudibus,  
 Honoribusque ceteris dignissimum  
 Ulro hunc fatetur: Immo, ait, meritò potes  
 Jam gloriari, quòd meam, quantum licet,  
 Afine erudite, veram imaginem refers.

Doctrina, quam nunc multitudo suspicit,  
 Quàm sit paratù facilis, exemplum hoc probat.

## F A B U L A V I I I.

### *Simioli & Pyra.*

**P**RÆCEPTOR olim diligens, sibi traditos  
 In disciplinam, Simiolos instruxerat  
 Moribus honestis: tamque mites, & probos,

Et temperantes esse factos credidit,  
 Ut non dubitarent illos Domino sistere,  
 Sperans lucellum <sup>8</sup>, industriæ videlicet  
 Fructum, & laboris, se recepturum fore.  
 Sed intromissi cum fuere belluli  
 Minervæ Alumni, fortè sepositum vident  
 Plenum Pyris canistrum, & abjectâ simul  
 Omni modestiâ, uno pariter impetu  
 Illuc, cupiditas quò trahit victrix, ruunt,  
 Prædamque, fœdis etiam rixantes modis,  
 Diripiunt. Hic Magistrum penitus afficit  
 Dolor pudore mixtus: ingemuit miser;  
 Et: Arte, dixit, expellatur quâlibet,  
 Tamen <sup>9</sup> recurret usque vitiosa indoles.

## FABULA IX.

*Perdix & Auceps.* <sup>1</sup>

ALITIBUS Auceps insidias tetenderat:  
 Incauta Perdix in laqueos ut se induit,  
 Sensit periculum, & reformidans necem,  
 His Aucupem tentasse verbis dicitur:

<sup>8</sup> Cicero, in Verr. L. 3, C. 30. *Apronio* lucelli aliquid iussi sunt dare. . . . *Si Apronianum* lucellum. &c. Horatius, L. I. Epist. 18. V. 102.

<sup>9</sup> Horatius, Lib. I. Epist. X. V. 24. *quanquam sensu diverso: Naturam expelles furcâ; tamen usque recurret, Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.*

<sup>1</sup> Richer, Lib. I. Fab. XI. *Ætopus*, Fab. CLXVII. *Janus* Biblioth. Rhetor. T. I. pag. 739. *cujus verba multa retinimus.* P. Targa, Fab. 138.

Agro in propinquo fociaë pascuntur meæ  
 Multæ; sine modò, hùc illas adducam tibi,  
 Mensâ ut paretur præda dignior tuâ:  
 Postquàm rediero, nec mihi parces, si voles;  
 Vel, si placuerit officium, vitam dabis.  
 Perspexit Auceps callidus inanem dolum;  
 Avemque capiens garrulam: Ut credam tibi,  
 Respondit? Ullam tu mihi ut serves fidem,  
 Socias quæ prodis ipsas? Incertam nimis  
 Rem postmodùm considerabo attentius:  
 Interea capsam ingredi: si largo <sup>2</sup> minùs,  
 At delicato recreabis me cibo.

Inimico vanis se promissis perfidus  
 Obligat, amicos prodere ipsos qui potest.

## F A B U L A X.

### *Parasitus & Pisciculi.* <sup>3</sup>

QUIDAM Parasitus, & facie, & facetiis <sup>4</sup>  
 Ridiculus, audax scurra, deliciæ populi <sup>5</sup>,  
 Ad Publicani sumptuosam divitis  
 Mensam sedebat imus. Is neptunios  
 Sibi esse positos tantùm Pisciculos dolens,  
 Cùm grandia monstra ponerentur ceteris,

<sup>2</sup> Phædrus, L. 3. Fab. 7. V. 14.

Et otiosum largo satiari cibo.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. VIII. Fab. VIII. Abstemius, Fab. CXVIII. Jârus, Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 755.

<sup>4</sup> Cicero ad Agric. Lib. I. Epist. 13. circa med.

<sup>5</sup> Plautus Moseil. Act. 1. Sc. 1. V. 14. Sic autem loqui, extra jocum, licere non puto.



Suos minutos anxîâ tollit manu ,  
 Orique primùm , & auribus dehinc suis  
 Alios post alios mîmico gestu admovet.  
 Hic omnium ingens curiositas fuit.  
 Audire facti causam flagitantibus <sup>6</sup> :  
 Me cura , dixit , magna sollicitum tenet  
 De forte amici , qui longinqua jam diu  
 Per maria currit : ergo ab his ponti incolis  
 Exquiro , numquid de illo fors resciverint :  
 At juniores se esse respondent mihi ;  
 Interrogemque grandiores , me monent .  
 Inexpectatum callidi scurræ jocum  
 Convivæ risu excipiunt , & grandes simul  
 Dilargiuntur Pisces , quos interroget.  
 Acuere avarus venter ingenium <sup>7</sup> solet.

## F A B U L A XI.

*Apis & Jupiter.* <sup>8</sup>

**A**PIS Jovi olim mellis obtulit favum.  
 Admovit ori dulce munus Jupiter :

<sup>6</sup> Corippus Africanus , de laud. Justinî imp. L. 4. V. 259.

Matris in adventum nido confurgit ab omni  
 Turba loquax , fluitantque cibos.

At Virgilius , Aen. L. 2. V. 133.

Quæ sint ea numina Divûm ,

Flagirat.

Et Horatius , L. 2. Sat. 4. V. 61.

Flagirat in mensis refici.

<sup>7</sup> Persius , Sat. prol. V. 10.

Artis magister , ingenique largitor

Venter.

<sup>8</sup> Æsopus , Fab. CCXLIV. Camerarius , Fab. CCXLIII. Jæsus , Biblioth.  
 Rhetor. Tom. I. pag. 247. ejus verba aliquoties adhibuimus.

Cùmque approbâsset aviculæ solertiam:  
 Age, inquit; opta quid tibi rependi velis.  
 Has, retulit illa, nostras involat <sup>9</sup> in dapes,  
 Et eas profanat <sup>1</sup> cupida gens mortalium:  
 Punire da mihi posse prædones malos,  
 Plagamque facere pungendo insanabilem.  
 Votum improbavit Deus, & tantam tantulæ  
 Crudelitatem volucris indignè serens:  
 Tibi certa mors est, dixit si quem læferis;  
 Animamque in ipso irata linques vulnere <sup>2</sup>.  
 Vindiçta pœnam iniqua dum repetit gravem,  
 Graviore sæpe affecit auctorem suum.

## F A B U L A X I I.

*Lænae Apotheosis.* <sup>3</sup>

LEONIS uxor è vivis decesserat:  
 Solemnis ergo dicitur exsequiis dies;  
 Missique circum Feciales admonent  
 Regni incolas: Adeste pompæ funebri  
 Qui volet, acceleret. Nullus non, vel adfuit,  
 Vel excusavit per alios absentiam.

<sup>9</sup> Cicero, de Orat. L. 3. C. 31. *In quam (possessionem) homines, quasi caducam atque vacuum, abundantantes otio, nobis occupatis, involaverunt.*

<sup>1</sup> Ovidius, L. 3. Eleg. 9. V. 19.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat.

<sup>2</sup> Virgil. Georg. Lib. IV. V. 238.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. VIII. Fab. XIV. Abstemius, Fab. CXLVIII. Jaius Biblioth. Rhetor. Tom. 1. pag. 747. *cujus etiam verba plurima usurpavimus.*

Turbam ut frequentem vidit, ingentes Leo  
 Causas dolendi significare protinus  
 Longo ejulatu cœpit: adflere Aulici 4,  
 Parique luctu luctum Regis prosequi.

Unus tot inter fletus fletibus abstinet  
 Cervus: sibi namque meminit uxorem feris  
 Nuper Lænxæ dilaniatam dentibus,

Advertit, & æstuantis Rex iræ impotens:  
 Sic ergo nostros concelebras 5 luctus ait!

Dolor ubi publicus, esse lætus sustines 6?

At non leonis vindicabitur impetu

Tam turpe crimen: ruite in impium, lupi;

Reginæque piis manibus inferias 7 date.

Nihil moveri visus ad tristes minas,

Sic placidè causam Cervus oravit suam:

Rex magne, fatis est luctui datum hætenus;

Recepta Cælo flere nos ultra vetat

Augusta conjux: namque dum ereptam mihi

Uxorem queror, & mortis inclementiam

Accuso, inane luctûs ad solatium:

Vidi lænam curru sublimem rapi,

4 Corn. Nepos, L. 14. C. 5. *Cum magnam benevolentiam Regis Data-  
 mes consecutus esset, non minorem invidiam Aulicorum exercebat.*

5 T. Livius, L. 8. C. 7. *Quantum militaribus studiis funus ullum  
 concelebrari volebat.*

6 Ovidius, Fast. L. 4. V. 849.

*Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum  
 Sustinet; & pietas dissimulata patet.*

Heroid. Epist. 5. V. 32.

*Sustinet Oenonen deseruisse Paris.*

Q. Curtius, L. 6. C. 9. n. 18. *Sustinuit rescribere mihi. L. 9. c. 10.  
 n. 15. Ne respicere quidem suos sustinebant,*

7 Ovidius, Fast. L. 5. V. 422.

*Inferias tacitis manibus illa dabunt.*

Interque collocari cælestes feras.  
 Quapropter alacris lætitia jam nos decet.  
 Hâc fraude lepidâ Leo placatur credulus:  
 Recreatque dono, destinabat quem neci.  
 Amant potentes, quæ canit adulatio,  
 Licétque falsa judicent, rarò improbant.

## F A B U L A    X I I I .

*Agnus, Canis, & Lupus.* <sup>8</sup>

**S**TUDIOSA mater, & sagax, dederat Ovis  
 Fidelem, si quis unquam alius, Canem suo  
 Custodem Agniculo. Non erat ille bellulus,  
 Neque aliquis unus ex iis, qui leniter  
 Adblandiuntur; at generosus, & valens,  
 Acerque, & omnes qui, ferox hostis, lupos  
 Usque allatraret <sup>9</sup>, arceretque longiùs.

Custodis hujus imprudentem trœduit  
 Alumnum; cumque ab ipsius vigilantia  
 Se vindicandi occasionem quæreret,  
 Lupus ecce occurrit, artibus instructus malis  
 Veterator, tectus pelle ovillâ; qui suam  
 Dissimulans vocem sic eum alloquitur prior:  
 Mihi Fors bona favet, qui te solum invenerim,

<sup>8</sup> Jains Biblioth. Rhetor. Tom. I. pag. 745.

<sup>9</sup> Columella, L. I. præfat. *Caninum studium, Iccupletissimum quemque allatrandi.* T. Livius, L. 38. C. 34. *M. Porcius Cato, vivo quoque eo (Scipione Africano) allatrare eum magni utinam solutus erat.* Aur. Viçtor, de Viris illustr. C. 54. de eodem Scipione: *In Capitolium intempestâ nocte eunti nunquam canes allatraverunt.*

Amicula: operam jam antea tibi meam  
 Impendere utilem, animo destinaveram.  
 Dic autem, amabo: quid tibi cum istâ belluâ  
 Tristi & severâ, cujus in custodiam  
 Te traditum esse, sic amabilem, audio?  
 Moderator ille est, chara quem dedit Parens,  
 Respondit Agnus. Huic Lupus retulit: Suum  
 Egregiè Alumnus, & eruditè sciticit  
 Instituire ille nôrit, aliud qui nihil,  
 Præter <sup>1</sup> latrare, didicit! si credis mihi,  
 Doctorem sanus invenustum deferes.  
 Me sequere: disces quidpiam, quod sit magis  
 E re tuâ, magis etiam placeat tibi.

Lupi consiliis paret Agnus perfidis:  
 At vix uterque proximum intrârunt <sup>2</sup> nemo,  
 Comitem misellum strangulat impius latro.

Bonus ille Custos, qui severus & probus  
 Propulsat, non qui blandus importat malum.

## FABULA XIV.

*Homines duo & Thesaurus.* <sup>3</sup>

**I**NOPRIA quidam perditus <sup>4</sup> statuit mori:  
 Laqueum paravit ære, quod superfuit,

<sup>1</sup> Horatius, L. 2. Sat. 5. V. 68.

Invenietque  
 Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.  
 Ovidius, Heroid. Epist. 7. V. 164.

<sup>2</sup> Phædrus, L. 1. Fab. 10. V. 7.

Uterque causam cum perorassent suam.

<sup>3</sup> La Fontaine, Lib. IX. Fab. XVI. Abstemius, Fab. CLXIX.

<sup>4</sup> Phædrus, L. 1. Fab. 14. V. 1.

Collo alligavit; clavum semirutæ domûs  
 Parieti fixit, unde pendens literam <sup>5</sup>  
 Longam ex se faceret. At in ruinam cùm foret  
 Paries propensus, fustinendo ponderi  
 Impar, secutus ultro est; & magnam simul  
 Effudit auri copiam. Ille, qui, nigras  
 Præter erebi umbras, cogitaret jam nihil,  
 Ubi sic dejectum, & illæsum etiam se videt,  
 Stringente nodo se eximit, laqueum abjicit,  
 Fortunæ munus oblatum recolligit,  
 Repetitque dulci gravis onere suos lares.

Intereâ, hunc ipsum ibidem qui locaverat  
 Thesaurum, avarus advenit, & exterritus,  
 Victusque, damno cognito: An meos mihi  
 Amores, heu! fuisse sublato feram,  
 Vivamque? misero vivere quid prodest, ait?  
 Vifoque laqueo, se suspendit, & perit.

Ubi quis desperat, confiditve maximè,  
 Ratum <sup>6</sup> crede nihil: nam repentè, si velit  
 Fortuna, res utrinque mutabunt vicem.

Malus cùm futor inopiâ deperditus  
 Medicinam ignoto facere coepisset loco:


Cicero, Orat. pro Sext. C. I. *Per homines scelere & egestate perditos.*

<sup>5</sup> Plautus, Aulul. Act. I. Sc. I. V. 37.

Neque quidquam melius est mihi,  
 Ut opinor, quàm ex me ut unam faciam literam  
 Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

<sup>6</sup> Cicero, Academ. L. 4. C. 46. *Illud certum, ratum, firum, fixum fuisse vis.*





## F A B U L A X V.

*Arbuscula, Arbor, & Colonus.*

JUNIPEROS inter, & alios hujusmodi  
 Frutices, tenebat principatum Arbuscula.  
 Inde procul Arborem eximiam dum respicit,  
 Et ejus omnem perspicere præstantiam  
 Ne possit, ipsa dum vetat longinquitas,  
 Ac tenuis etiam nebula visum decipit;  
 Existimare cœpit, illi scilicet,  
 Si contra staret, præferendam se fore.  
 Quapropter, omnibus ut facultas suppetat  
 Utramque comparandi, maximâ prece  
 Orat Colonus, tollere hinc ipsam velit,  
 Et collocare in Arboris viciniam.  
 Recusat ille primùm: at importunitas  
 Hunc denique cogit facere, quod valde improbat,  
 Natalis ergo stirpitis è terræ sinu  
 Avellit, & reponit optatum in locum.  
 Sed illam totam sic pusillam cum videt  
 Latere in umbrâ magnâ vicinæ Arboris,  
 Irridet: Et: Te quantò, ait, fatius fuit  
 Juniperis, & Genistis, & Periclymenis <sup>7</sup>  
 Dominari, tantæ quàm invidere tantulam,  
 Et anteponi velle magnitudini <sup>8</sup>!

<sup>7</sup> Plinius, Hist. L. 27. C. 12, *Periclymenus fruticat . . . nascitur in arvis ac sepibus, convolvens se adniviculis quibuscumque.* Dicunt Phyci hanc esse plantam, quæ appellatur hodie *Capri-folium*, gallicè *Chevrefeuille*.

<sup>8</sup> Phædrus: L. 1. Fab. 24. V. 2.

Virgilii, Homerique æmulos quosdam, sibi  
Palmam arrogantes, fabula, ut sapiant, monet.

## F A B U L A X V I.

*Porcus & Sturni.* <sup>9</sup>

U L I G I N O S O <sup>1</sup> terram in agro dum fodit,  
Glebasque rostro Porcus evertit putres,  
Erumpere cogit vermiculos: Sturni advolant;  
Fossorem stipant; & cappellunt strenuè  
Insecta <sup>2</sup> lubrica. & avidè liguriunt.  
Meus <sup>3</sup> ille stupidus agmen aligerum sibi  
Honoris causâ hùc advolâsse credidit:  
Sola parasitos excitaverat fames.

## F A B U L A X V I I.

*Pica & Acanthis.* <sup>4</sup>

S U A fola Picam futilem loquacitas  
Domino jucundam, amabilemque fecerat.

In prato quædam Rana conspexit Bovem.  
Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis,  
Rugosam inflavit pellem.

<sup>9</sup> Richer, Lib. III. Fab. XI.

<sup>1</sup> Varro, de re. rust. L. 1. C. 6. *Campester locus . . . cum aqua non habent delapsum, fieri solet uliginosus.* Plinius, Hist. L. 17. C. 5. *Terram . . . demonstrant . . . uliginosam tristia.*

<sup>2</sup> Plinius, L. 11. C. 1. *Alia pennata, ut apes: alia utroque modo, ut formicæ: aliaque & pennis & pedibus carentia: jure omnia Insecta appellata ab incisuris.*

Phædrus, L. 5. Fab. 7. V. 32. *Homo meus.* L. 1. Fab. 11. V. 12. *Tunc ille insolens.* Fab. 15. V. 7. *At ille lentus.* Catullus, Carm. 17. V. 21. *Iste meus stupor.* Terentius, Andr. Act. 4. Sc. 1. V. 27. *Hic meus carnis fæx.*

<sup>4</sup> Richer, Lib. II. Fab. XVII



Procacibus illa perfrepens clangoribus ,  
 Modò objurgabat omnem familiam , modò  
 Potum sibi darent , postulabat , aut cibum ;  
 Statimque , quidquid vellet , habebat affatim .  
 Eàdem Acanthis <sup>5</sup> quæ latebat in domo ,  
 Fundere canoros didicerat tantùm fonos ;  
 Mulcensque cantu solitudinem suam ,  
 Durabat <sup>6</sup> , omni se abstinens querimoniâ ;  
 Nec dignabatur postulare quidpiam .  
 Interdum ad ejus lene & argutum melos  
 Familia , & ipse Dominus , attentè , aurium <sup>7</sup>  
 Operam dicabant , deliciasque musicas  
 Remunerabant ultro magnis laudibus :  
 Sed alia rarò impertiebant munera .  
 Ergo , quibus etiam sustineret <sup>8</sup> spiritum ,  
 Avis misella sæpe caruit victibus <sup>9</sup> ,  
 Elanguitque , ac denique periit fame .

5 Virgil. Georg. Lib. III. V. 336.

Cum frigidus aëra vesper  
 Temperat , & saltus reficit jam roscida Luna ,  
 Litoraque Alcyonem resonant , & Acanthida dumi .

Quam , inquit Servius ad hunc locum , alii Lusciniam esse volunt ,  
 alii verò Carduelem . Quidam autem animadvertentes tempus hic  
 à Virgilio memorari , quo Luscinia cantare solet , non Carduelis ,  
 Lusciniam ibidem satis apertè designari contendunt .

6 Virgilius , Aen. L. 1. V. 207.

Durate , & vosmet rebus servate secundis .

7 Plautus Bacchid. Act. 4. Sc. 9. V. 72.

Ubi lubet , recita , aurium operam tibi dico .

8 Phædrus , L. 3. Fab. 2. V. 6.

Misere panem , ut sustineret spiritum .

9 Plautus , Mil. glor. Act. 3. Sc. 1. V. 144.

Meæ domi accipiam benignè , lepidè , & lepidis victibus .

Plinius , Hist. L. 7. C. 46. *Parvum , sed annuis victibus largè  
 efficiens prædium colebat .*

Ovidius , Metam. L. 15. V. 104.

Victibus invidit .



Hinc Literati nempe discunt, ô dolor!  
 Modestiam nocere doctis artibus;  
 Valere <sup>1</sup> ineptas, quas juvet impudentia.

## F A B U L A XVIII.

### *Mustela & Columba.*

M U S T E L A catulos cùm quotidie suos <sup>2</sup>  
 Transferret; hanc Columba, quid toties locum  
 Mutare, tamque sollicitam esse cogeret,  
 Interrogavit. Illa respondit: Tuos  
 Cùm te viderem pullos in eodem loco  
 Usque educare, & hos tibi usque subripi;  
 Tua ista fecit me anxiam securitas.

## F A B U L A XIX.


### *Sidera & Sol.*

D E principatu contendebant Sidera:  
 Sol oritur: omnis cessat hinc contentio.  
 Procerum superbia deficit, cùm Rex adest.

<sup>1</sup> Cicero, ad famil. L. 9. Epist. 17. *Fiet quodcumque volent, qui valebunt: valebunt autem semper arma.* Orat. pro Mur. C. 18. *Quid mirum est, famam sermonemque valuisse?*

<sup>2</sup> Plin. Hist. Lib. XXIX. Cap. IV. *Hæc autem (Mustela domestica) catulos suos, ut auctor est Cicero, quotidie transfert, mutatque sedem.*





## FABULA XX.

*Leo iratus.* <sup>3</sup>

DUM quærit olim iratus elapsum Leo  
 Alium leonem, quem mactet odio furens,  
 In puteum offendit: inspicit; suam videt  
 Pictam in liquore imaginem; quem vult, sibi  
 Hostem hunc adesse credit; irruit, & perit.  
 Sæpe furiosi plus sibi, quàm aliis, nocent.

## FABULA XXI.

*Idem argumentum.*

ANIMALIA Leo vi sibi subjecerat  
 Plurima, & iniquis opprimebat legibus:  
 Etenim voraci cogebantur singulis  
 Diebus ad cibatum corpora mittere  
 Electa cujusque optimi è numero gregis.  
 Gens universa tam feram tyrannidem  
 Nullo esse pacto tolerandam cum diceret,  
 Vulpecula docto perdere Tyrannum dolo  
 Aggreditur: ut erat procurandis illius  
 Opsoniis præposita, se quodam die,  
 Mœrorem simulans anxium, Domino obtulit  
 Jam ficcis expectanti faucibus dapes,  
 Et: Hâc tuâ, inquit, nobili dignum gulâ,

<sup>3</sup> Le Brun, Lib. V. Fab. XXIII. Specimen sapientiæ Indorum, Sect. 1.  
 pag. 75. Edit. Starkii. Pilpay, pag. 120.

Meâque dignum industriâ paraveram,  
 Ac deducebam commeatum, quem suis  
 Afinus clitellis dum recipit, mecum, gemens,  
 Expostulavit de graviore sarcinâ;  
 Nullusque non erat exquisitior cibus:

Leo sed alter, ante qui paucos dies  
 Advènit hùc, & multa jam sæva edidit <sup>4</sup>  
 Facinora, & affectare culmen imperi  
 Videtur, ipsâque solet in viciniâ  
 Latitare, subitò profiliens mihi obstitit,  
 Frustraque nomen inclamanti regium  
 Violentus, audax, immo contemptor tuæ  
 Majestatis, opes rapuit omnes, & suum,  
 Fœdè triumphans, in latibulum condidit.  
 Ad hæc superbus, & vehemente percitus  
 Leo furore: Duc, ait, duc me statim  
 Nefarium ad latronem, quem dedam neci.

Viam celeriter corripuère: mox videns  
 Puteum, dolosâ quem priùs notaverat <sup>5</sup>,  
 Aptumque technis judicaverat suis,  
 Vulpecula: En hoc ipsum latibulum est, ait,  
 Quo se solet recipere sacrilegus Latio:  
 Age, ultor invade, & inopinatè opprime.  
 Furibundus ille accedit; in puteum inspicit,  
 Cernensque reflexam ab aquis effigiem suam:

<sup>4</sup> Cicero, Orat. in Anton. 13. C. 9. *Quod scelus, quod furivus  
 parricida non edidit?*

<sup>5</sup> Virgilius, Ecl. 3. V. 68.

Namque noravi

Ipse locum, aeris quo congersere palumbes.

<sup>6</sup> Lucretius - L. 3. V. 603,

Aut in melle situm suffocari.



Etiam scelestus impias audet minas  
 Intendere mihi, exclamat! Et præceps simul  
 Irruit, & imo suffocatur <sup>6</sup> in vado.  
 Sæpe furiosos proprius perdit furor.

## FABULA XXII.

*Erucae duæ.* <sup>7</sup>

**I**N Caule eodem Erucae <sup>8</sup> creverant duæ,  
 Et societatem iniverant fororiam.  
 At una, pennas cùm repentè cerneret  
 Sibi advenisse, Papilionum se gregi  
 Statim immiscere cupiens, sursum exititur;  
 Fertur per auras, veterem amicam negligit,  
 Et hujus, Erucarumque omnium immemor,  
 De gente se istâ unquam fuisse pernegat.  
 Homines repentè emersos ex humili loco  
 Tolerare possim, ni suum spernant genus.

## FABULA XXIII.

*Fur deceptus.* <sup>9</sup>

**R**ECONDERE aliquis thesaurum in terræ sinu  
 Cùm vellet, unum è vicinis vocaverat,

Cicero, Orat. pro Mur. C. 29. *Qui gallum gallinaceum suffocaverit.*

<sup>7</sup> Richer, Lib. VII. Fab. XVII.

<sup>8</sup> Plin. Hist. Lib. XI. Cap. XXXII. *Propignitur vermiculus parvus, & triduo mox Eruca. . . . Hæc Eruca, quam Chrysalidem appellant, rupto deinde cortice volat Papilio.*

<sup>9</sup> La Fontaine, Lib. X. Fab. V.

Qui se <sup>1</sup> adjuvaret, secretique conscius  
 Fieret. At ille, occasione mox datâ,  
 Fidem fesellit; seque teste conditas,  
 Clam sustulit opes. Dominus illuc postmodum  
 Solus revertens vacuum ut invenit locum,  
 Dijudicavit id quod res erat, suo  
 Esse imputandum <sup>2</sup> amico perfido scelus.  
 Adit hunc; dicitque thesauro jam condito  
 Adjungere aliam velle se pecuniam:  
 Adestet ergo similem posterâ die  
 Daturus operam. Se Adfuturum scilicet  
 Promittit isto Fur lætatus nuntio;  
 Speratque summam pariter hanc posse abripi,

<sup>1</sup> Scribere hic debuissim, non *se*, at *ipsum*, si Laurentii Vallæ, ac ceterorum, qui hunc sectati sunt, Gramaticorum præcentis obtemperare voluissim: minime verò audiendos esse homines male anxios putavi: nam exempla similia per multa apud scriptores antiquos reperiuntur. Cavere nos tantum oportet, ne ullam, quæ lectorem attentum & intelligentem morari possit, in ambiguitate: cujusmodi nulla, opinor, hic occurrit. Veteres autem propter facultatem ea, quæ latinè scriberentur, intelligendi longè majorem, quàm nunc est, necessè fortè non fuit tam esse diligentes: quocirca Ciceronis exemplum adducam, quod meam quidem causam summè defendat, quod tamen proponere hodie ad imitandum noluerim, habet enim ambiguitatem, quæ nostris hominibus aliquid facessere possit negotii: atque illud etiam ipsum Quintilianus, *Instr. Orat. L. 7. C. 9.* dum affert, improbare videtur. Sic itaque Cicero, de clar. *Orat. C. 26.* *Cum ille* (Lælius Fannii & Scævolæ socer) *Q. Scævola* sibi (Fannio) *minorem natu generum præbuisse.* Sic autem Quintilianus: *Id sibi & ad socerum referri, & ad Fanniam potest.* Nunc elocutionem, huic nostræ similem, unam & alteram tantum ex eodem Cicerone depromam. De fin. bon. & mal. *L. 5. C. 9.* *Quatenus, quidquid se attingat, ad seque pertinax, perficere coepit.* Ad *Atric. L. 8. Epist. 1.* *Reddita mihi literæ sunt à Pompeio: cetera de rebus in Piceno gestis, quæ ad se Vibullius scripsisset.*

<sup>2</sup> Ovidius, *Heroid. Epist. 6. V. 103.*

Atque aliquis, Pelicæ de partibus, æta venenis  
 Imputat; & populum, qui sibi credat, habet.

*Q. Curtius, L. 7. C. 1.* *Confitemur, prosperum eventum tibi debitoros, tristere fortunæ imputaturos.* *Ibidem: Ut malles ea temporis nostro imputare, quàm animo.*

Suoque properat reddere alteram cavo:  
 Quam Dominus ut recepit, abscondit domo,  
 Nihilque furi, præter <sup>3</sup> animo dejici,  
 Relinquens, docuit, propriis sæpe artibus  
 Malam improborum cupiditatem decipi.

## FABULA XXIV.

*Vulpis & Lupus.* <sup>4</sup>

PLENÆ simulachra Lunæ dum speculo suo  
 Placidus profundi redderet putei liquor;  
 Accessit illuc fortè, victum quæritans,  
 Jejuna Vulpis; & ubi prospexit, fames  
 Malefuada perpulit <sup>5</sup>, uti pinguem crederet  
 Summis super aquis innatare caseum.  
 Ergo duobus, alternabant qui vices,  
 Pensilibus altâ è machinâ situlis <sup>6</sup> itus  
 Cùm facilis esset ad usque puteales aquas,  
 In eum, quem levitas propria, & alter prægravans  
 Extulerant sursum ad marginem, sese injicit:  
 Delapsa sed mox luget errorem suum;  
 Seque perituram deputat. Animum tamen  
 Vitamque misera sustinet. Jam biduum

<sup>3</sup> Horatius, Lib. II. Sat. 5. V. 68.

..... tacitus leget, invenietque

Nil sibi legarum, præter plorare, suisque.

<sup>4</sup> La Fontaine, Lib. XI. Fab. VI.

<sup>5</sup> Terentius, Andr. Act. 3. Sc. 2. V. 44.

Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.

Act. 4. Sc. 1. V. 33.

Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.

<sup>6</sup> Cato, de re rust. C. II. Situlum *aquarium*. Vitruvius, L. 10. C. 9.

*Duplex ferrea catena . . . collocabitur habens situlos penden-*  
*tes . . . Ita versatio rotæ effert situlos in summum.*

Erat consumptum; cùm Lupus tandem advenit:  
 Quem conspicata: Situlum, ait, te in hunc citò  
 Immitte; properaque in mei partem boni:  
 Opimus hìc est mihi repertus caseus:  
 Comèdi, quantùm cupiditas voluit mea;  
 Nunc satura cogor hunc, sic abrafum, ut vides,  
 Deferere. Luna scilicet decreverat,  
 Et simul imago Lunæ. Stultè credulus,  
 Avidusque prædæ inanis, obsequitur Lupus;  
 Præponderansque corpore; & fundum petens,  
 Surfum propellit Vulpem; quæ parum anxia,  
 Lupo quid fieret, liquit hærentem vado.

Quod ? cupimus, id verum esse facilè credimus.

## F A B U L A   X X V.

*Cervus æger.* 8

**N**EMOROSO in antro Cervus æger cœperat  
 Languere: cervi nemoris ejusdem incolæ  
 Venère ad ipsum, dictitantes, maximam,  
 Quidquid doleret, capere se partem mali.  
 Suam ille gratus hos ita benignè vicem  
 Dolere visos, optimis affectibus 9,

7 Cæsar, de Bello Gall. Lib. III. C. 18. *Fere libenter homines id, quod volunt, credunt.* Quam sententiam felici forsitan eventu aptavisse-mus fabellæ nostræ, confirmatam hoc modo:  
 Fere libenter, quod volumus, id credimus.

8 La Fontaine, Lib. XII. Fab. VI. Richer, Lib. VIII. Fab. XV.  
 Tanaq. Faber, Fab. III. ex Locmani arabico.

9 Ovidius, Metam. L. 7. V. 171.

Non tamen affectus tales confessa.

L. 8. V. 473.

Thestias haud aliter dubiis affectibus errat.



Aptisque verbis, quando id unum nunc potest,  
 Remuneratur; & pietatis sedulæ  
 Officia laudat; seque, non obstant modò  
 Fata nimis aspera, memorem spondet fore.  
 At pristina brevì cùm revertisset salus,  
 Exsurgit; visit, quo suæ sint res loco:  
 Vidensque ab istis solatoribus <sup>1</sup> suis  
 Absumpta latè sua fuisse pabula:  
 Officia, dixit, sancta quanti veneunt!

## FABULA XXVI.

*Graculus.* <sup>2</sup>

OLIM superbus, impudensque Graculus,  
 Fur ipsemet ille, qui Alitis Junonii <sup>3</sup>  
 Radiantibus se pennis exornaverat,  
 Revulsas Ardæe alas fortè reperit;  
 Hasque sibi, stultè cupidus, quo potuit modo,

<sup>1</sup> Tibullus, L. 1. Eleg. 3. V. 15.

Ipse ego solator, cùm jam mandata dedissem,  
 Querebam tardas anxius usque moras.

Statius. Sylv. L. 5. carm. 5. V. 40.

Ille ego lugentum mitis solator.

<sup>2</sup> Richer, Lib. VIII. Fab. VIII. Galli quidem, qui latinè scire se credunt, si quando dicant, *le Grac de la Fable*, Graculum intelligit volunt. At Latinorum Graculum, si minùs, Corniculam ipsam esse, potest ex eo colligi, quòd etiamnum à Gallis quibusdam illa nominetur *Graille*; & quòd Horatius, L. 1. Epit. 3. V. 19. pro Graculo Aelopi, Corniculam induxerit: avem certè esse non varii, ac nigri coloris, ostendit Martialis, L. 1. Epigr. 116.

Sed quandam volo nocte nigriorem,

Formicà, pice, Graculo, cicadà.

Atque Aldhelmus Episcopus, qui sub finem seculi septimi floruit, idem in Carmine de laude virginittatis docet his verbis:

Haud etiam vilet Graculus ater.

Vide Amoenitates juris Aegidii Menagii, Cap. 38.

<sup>3</sup> Vide Phædr. Lib. 1. Fab. III.

Aptavit. Ultra nubes se jam præpetem  
 Ferri volatu posse sublimes autumat.  
 At vix se in auras crassiores sustulit,  
 Miserè impeditur, talis remigii 4 insolens 5,  
 In humumque pronò capite præceps decedit.  
 Ineptos fabula plagiarios notat.

## F A B U L A XXVII.

*Musarum Alumnus & Bombyx.* 6

MUSARUM Alumnus junior, nugax, levis,  
 Osor librorum, cubiculumque, quo suus  
 Ipsum magister decinebat sedulò,  
 Horrere solitus pejùs 7 atro carcere,  
 Luctum ut fugaret. falleretque tædium,  
 Bombycem alebat. Hunc videns subtilibus,  
 Quæ neverat ipse, filis sese involvere:  
 O fructa Bestia, istis quæ laboribus  
 Perfunderis, ait, ut tibi carcerem fruas!  
 At ille retulit: Tale opus ni fecero,

4 Virgilius, Aen. L. I. V. 300.

Volat ille per aëra magnum  
 Remigio alarum; ac Libyæ citus adlittit oris.

Et L. 6. V. 18.

Redditus his primùm terris, tibi Phoebe, sacra vit  
 Remigium alarum.5 Cæsar, de bel. civ. L. 2. C. 36. *Erat in oppido multitudo insolens belli.*  
 Sallustius, Catilin. C. 3. *Animus insolens malorum artium.* Cicero,  
 de Orat. L. 1. C. 48. *Ea requiruntur a me, quorum sum ignarus  
 atque insolens.*

6 Richer, Lib. VIII. Fab. XII.

7 Cicero, Orat. in Anton. L. 1. C. 5. *Quo neminem veterani pejùs ode-  
 runt.* Ad famil. L. 7. Epist. 2. *Oderam multò pejùs hunc, quàm  
 illum ipsum Claudium.* Horatius, L. 4. Od. 9. V. 50.  
 Pejùsque leto flagitium timet.

Eruca cogar repere, nec unquam mihi  
 Continget, ut venustum muter in Alitem.  
 Pueri monentur, doctis ut laboribus  
 Se exerceant, ni repere <sup>8</sup> per humum velint.

## FABULA XXVIII.

*Formica & Jupiter.* <sup>9</sup>

**F**ORMICA sortem conquerebatur suam:  
 Ævum se ianumeris trahere obnoxium malis;  
 Timere semper, rusticæ plebis gravi  
 Ne conteratur plantâ, vel perdicibus  
 Jucunda fiat esca: O Jupiter, mihi  
 Concede pennas, inquit, ut periculis  
 Eripere <sup>1</sup> tantis incolume possim caput.  
 Motus querelâ pervicaci Jupiter  
 Pennas concessit imprudenti besticæ.  
 Ergo illa gaudet munere novo, & se levis  
 Tollit per auras: at simul ab hirundine

Et L. 1. Epist. 17. V. 30.

Alter Miletî textam cane pejûs & angue  
 Vitabit chlamydem.

<sup>8</sup> Horatius, L. 2. Epist. 1. V. 250.

Nec sermone ego mallem  
 Repentes per humum, quàm res componere gestas.

L. 1. Sat. 3. V. 99.

Cùm proreperunt primis Animalia terris,  
 Mutum & turpe pecus.

<sup>9</sup> Richer. Lib. VII. Fab. II.

<sup>1</sup> Virgilius, Aen. L. 3. V. 711.

Deferis, heu, tantis nequicquam crepte periculis!

L. 6. V. 365.

Eripe me his, invictè, malis.

Aspicitur; in eam devolans rapido impetu  
Avis famelica necopinantem vorat.

Stultè appetentes, dum annuit <sup>2</sup>, plectit Deus.

## F A B U L A XXIX.

### *Cultor Arborum Imperitus.* <sup>3</sup>

CUM cupidus aliquis agriculturæ foret,  
Animique vanâ elatione turgidus,  
Suam latere vellet imperitiam;  
Fictâ ambulandi causâ Agricolam convenit  
Valde peritum: solitis hunc laboribus  
Fungentem paulùm observat; atque etiam videns,  
Fruticationem cum superfluum arborum,  
Vagos stolones <sup>4</sup>, ramulos que inutiles  
Is amputaret: Cur, ait, tantam facis  
Lignique, frondiumque cædem <sup>5</sup>? Hinc scilicet,  
Inquit Colonus, uberior fructus redit.  
Neque ille plura quæsiit; & prudentiam  
Sese artis omnem jam affecutum credidit;

<sup>2</sup> Ovidius, *Metam.* L. 2. V. 531.

Dî maris annuerant.

L. 4. V. 558.

Annuit oranti Neptunus.

<sup>3</sup> La Fontaine, *Lib. XII. Fab. XX. A. Gellius, Lib. XIX. Cap. XII.*

<sup>4</sup> Plinius, L. 17. C. 1. *Fructe ab iis & cognomina antiquis . . . Stolonium Licinice genti: ita enim appellatur in ipsis arboribus fruticatione inutilis.* Varro, *de re rust.* L. 1. C. 2. *Stolonum conseruavit cognomen, quod nullus in eius fundo reperiri poterat stolo.*

<sup>5</sup> A. Gellius, L. 10. C. 12. *Videt fortè ricinum . . . Stolones in pomis, aut in Oleis proceros amputantem; acceditque prope, & cur tantam ligni atque frondium cædem faceret, percunctatus est.* Varro, *de re rust.* L. 1. C. 7. *Cædua stru.* Cicero, & alii: *Cædere arbores.* Tacitus, *Annal.* L. 1. C. 50. *Concædibus* (arborum) munitus.

Abiitque. Fundum mox reversus ad suum,  
 Capit securim; & obvios quosque Arborum,  
 Bonos, malosque, ramos abscindit miser;  
 Spemque furiosus refecat omnem palmitum.

Docet fabella, sæpe ab exemplis bonis  
 Capere imperitos peccandi fiduciam.

Sed & severa Stoicorum sanctio <sup>6</sup>

Hic quoque notatur, animi nullum quæ probat  
 Affectum, at omnes penitus excindi jubet.

Illi quidem altæ femina mentis indita

Habuère, plenaque utilis sapientiæ

Sanxère multa, & ausus hæc olim fui

Celebrare quodam carmine: sed enim omnium

Præstare cum se motuum expertes volunt,

Nec Dî videntur esse, nec homines mihi.

Quid? Excitatam misericordiæ indolem

Cohibere, frænare pietatem, extinguere

Virtutis etiam igniculos: hæc virtus erit?

Talis apathia <sup>7</sup> dici virtus si potest,

Virtutis ergo summum in automatis latet.

6 A. Gellius, Loco cit. hanc fabulam refert ex Herode Attico; cujus etiam conclusionem adversus Stoicos talem exhibet: *Sic isti apathia sedatores, qui videri se esse tranquillos, & intrepidos, & immobiles volunt; dum nihil curant, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent; omnibus vehementioris animi officiis amputatis, in torpore ignavæ & quasi enervatæ vitæ consenescent.*

7 Vox ista græca est, quæ quidem Seneca, Epist. 9. & A. Gellius, loco cit. uti sunt: Sed literis hanc latinis potius, Quam græcis, esse scribendam censui. Idem de voce automati, quæ subsequitur, dictum puta: quanquam sunt Critici qui contendant, scriptam hanc à Suetonio, Claud. C. 34. literis latinis vocem fuisse, non græcis, ut exhibetur in Editionibus plerisque. *Scriptisse automatam credo Suetonium*, inquit Læv. Torrentius ad hunc locum.



## F A B U L A   X X X .

Ad Reverendum Patrem Carolum de Neuville.

*Columba, & ejus Pullus; Buboque,  
& Aquila.*

ILLUD profectò, Carole, dat animos mihi,  
 Quòd laus tua singularis eloquentiæ,  
 § Sapientiæque summa vis te non vetant  
 Has penitus intueri fabellas leves,  
 Quas arte finxi, & expolivi tantulâ:  
 Etiamque, quâ sint parte commendabiles,  
 Quâ partè peccent, ponderare te finunt.  
 Age nostris æquam perge porrò lusibus  
 Præstare mentem. Judex en inducitur  
 Regina volucrum: quæ tuam satis probè  
 Vicem an sustineat, dispicere nunc te velim.

Columba Pullum excluderat, gratum sibi,  
 Studioque magno vigilans educaverat.  
 Videbat hunc plerumque apud gentem suam  
 Ornari laudibus; & gaudebat in sinu.  
 Suffragia tamen blanda multitudinis  
 Benevolæ secum tacita dum considerat,  
 Timet, immodestus verba ne dederit favor,  
 Illuferitque. Veritatis appetens,  
 Bubonem, solitum turris in fastigio  
 Residere, vitamque agere solitariam,

§ Cicero, Oratoris Cap. l. XX. *Est, inquit, eloquentiæ, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientiæ.*

Nil dubitat unà cum suo Columbulo  
 Adire. sincerumque iudicium rogat  
 Super hujus omni sive virtutum indole 9,  
 Sive vitiorum. At ille, dotes quælibet  
 In quælibet ipsi luce <sup>1</sup> ponantur, truces  
 Obliquat oculos; quæque, recto si velit  
 Examinare intuitu, forsitan probet,  
 Statim repudiat, antequàm perspexerit.

Matrem misellam discruciat ingens dolor  
 Pudore mixtus: neque Bubonis tetrici  
 Vim judicandi pravis ductam <sup>2</sup> affectibus  
 Cognoscere ejus nimia simplicitas finit.  
 Relinquit ergo moesta acerbum Judicem;  
 Metuensque, caræ vera ne nimis nota  
 Inusta fuerit proli, hanc respicit, & gemit;  
 Neque tamen, oculis sedulò quanquam utitur <sup>3</sup>,  
 Obnuntiatam turpitudinem potest  
 Videre; Bubonisque vereatur licèt  
 Auctoritatem, tamen assensum sustinet.

9 T. Livius, L. 21. C. 4. de Annibale: *Cum hæc indole virtutum ac vitiorum, triennio sub Asdrubale Imperatore meruit.*

1 Cicero, de clar. Orat. C. 75. *Adjungit illa oratoria ornamenta dicenti: tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine.*

2 Cicero, Orat. pro Mur. C. 30. *Non re ductus es, sed opinione. Orat. pro Rosc. Com. C. 16. Unde hæc totum ductum & constat mendacium est? Corn. Nepos, L. 10. C. 10. Hi falsâ suspitione ducti, immerentes ut sceleratos occidunt. Ovidius, Metam. L. 14. V. 229.*

*Invidiâ socios, prædæque cupidine ductos. Quintilianus, Inst. L. 2. C. 15. Persuadere Judici, & sententiam ejus ducere in id quod velit.*

3 Plautus, Epid. Act. 1. Sc. 1. V. 3.

Oh! Epidicumne conspicor?

R. Certè oculis uteris.

Horatius, L. 1. Epist. 19. V. 45.

Ad hæc ego naribus uti

Formido.

Sed cùm meminerit, Aquilam dici ceteris  
 Volantibus unam magis acutùm cernere,  
 Columbulum illi fiftit ultro judici 4:  
 Trepida, humilisque, causam veniendi docet,  
 Et obsecrat, uti se nimis diu anxiam  
 Ab inquieto liberet erroris metu,  
 Sententiamque de re omni certam ferat.

Haud renuit Aquila: hos in Columbulum simul  
 Defigit oculos, aspicere Solis facem  
 Rutilam irretorti qui valent. Postquàm satis  
 Pervidit omnia: Isto, dixit, optimus  
 Toto vigescit succus in corpusculo:  
 Formæ decenti veneres non defunt suæ,  
 Nitore blando, munditiisque simplices 5:  
 Quædam at nec absunt negligentia 6 mala,  
 Quæ delicatis asperam censoribus  
 Creare possint nausæ 7 molestiam 8.

4 Ovidius, Metam. L. 2. V. 427.

De cespite virgo  
 Se levat, & Salve, Numen, me iudice, dixit.

Phædrus, L. 3. Fab. 13. V. 3.

Lis ad forum deducta est, vespâ iudice.

5 Horatius, L. 1. Od. 5. V. 5.

Simplex munditiis.

L. 2. Epist. 1. V. 158.

Defluxit numerus saturnius, & grave virus  
 Munditiæ pepulere,

6 Phædrus, Lib. III. Fab. VIII. V. 15.

Tu formam ne corumpas nequitia malis.

7 Cicero, ad famil. L. 16. Epist. 11. *Esstinare te nolo, ne nausæ molestiam suscipias.* Phædrus, L. 4. Fab. 6. V. 25.

Hoc illis dictum est, qui, stulti, etiam nausæant.

Vulgò legitur: *Siqui stulti nausæant*; at in Cod. MS. *qui stultitiam nausæant*; quod proximè accedit ad, *stulti etiam nausæant*: atque hanc meam conjecturam fieri approbandam fore.

8 Hos porrò censes delicatos ut mihi placere, neque studio, neque operæ me pepercisse, postrema hæc mearum fabellarum editio, ceteris longè emendatior, fortasse testabitur.



Plumisque, pennisque varius color infidet,  
 Quem cura facilis, & naturalis decor  
 Concentu amico ad elegantiam instruunt:  
 At suavitatem paulò concitator  
 Animaret utinam virtus, & nusquam auræ  
 Mediocritatis lumen elangueretur!  
 Imbelle rostrum, & innocens, rixam fugit,  
 Parabilesque, & obvios tantùm cibos  
 Adhibere novit: sed animosiùs velim  
 Converteretur in omne noxium pecus;  
 Et in ciborum delectu cupiam quoque,  
 Gustûs adestet doctior sagacitas.

Hunc tu tamen, pia mater, gaudeas licet  
 Genuisse talem: Paucis, <sup>9</sup> plura cùm nitent,  
 Maculis offendi, candida ratio vetat.

## FABULA XXXI.

*Equus & Sessor imperitus.*

LORIS sinebat currere admittis Equum  
 Vehementem Sessor imperitus: quod videns  
 Clamavit aliquis: Ni caves, tuum brevi  
 Immodicus ille deferet ruptum impetus  
 Sonipedem: age ergo, lora prudens contine.  
 Extinuit, at se dum putat <sup>1</sup> meus hic stupor  
 Præstare, quod monetur, conatu aspero,

<sup>9</sup> Horatius, Ar. poet. V. 352.

<sup>1</sup> Catul. carm. 17. V. 21.

Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.

Subitoque frena concutit; Equus & ferox  
 Simul erigit se, non ferens molestiam,  
 Præcepsque retro lapsus Sesiorem opprimit.

Quàm temperatum sibi-moderamen <sup>2</sup> expetant  
 Homines regendi, ex hâc fabellâ discimus.

<sup>2</sup> Ovidius, Metam. L. 2. V. 67.

Ultima prona via est; & eget moderamine certo.

L. 6. V. 677.

Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechliens.





FABULARUM  
ÆSOPIARUM  
LIBER NONUS.



PROLOGUS.



**P**ERICULOSAM miles ingressus viam  
Non tam sollicitè ab hostium insidiis cavet,  
Quàm veritus ego sum, & anxius operam dedi,  
Ne quempiam hisce fabulis offenderem.  
Quòd si secùs contingat: haud crimen meum,  
Sed malevolorum injusta criminatio,  
Hominumve faultè errantium vanissimæ  
Suspiciones <sup>1</sup>, quælibet species mali

<sup>1</sup> Anti-Lucretius, L. 6. V. 370.

Detegitur, nec suspicio est.

Ibidem, V. 491.

Suspicioque fuit sensûs & amoris in illâ.

L. 7. V. 1134.

Qui plerumque nihil nisi suspitione tenebant.

At Martialis, L. 11. Epigr. 46. V. 5.

Obiinitur, minime si qua est suspicio rimæ.

P. Syrus, V. 7.

Ad tristem partem strenua est suspicio,

Mihi imputetur, hanc omnem conflaverint 2.

Cœptus quàm honestâ fuerit hic meus labor  
 Ratione, quantumque habeat innocentie,  
 Monere toties, nescio an quidquam mihi  
 Sit profuturum: sed nihil certè magis  
 Mihi expetendum, quàm laus ingenue & probæ  
 Integritatis 3, & nihil magis expeto.

## FABULA I.

### *Anguilla & Anguis.* 4

ANGUILLA dixit Angui: Cur nostrum genus  
 Quotidie homines preduunt, deglubunt, edunt;  
 Dum vos refugiunt, ac timent attingere?  
 Respondit Anguis: Hi sciunt videlicet,  
 Prodesse nos nihil, & nocere plurimum.  
 Inprobilas ipsa sæpe tuetur improbos.

V. 730.

Suspicio sibi ipsa rivales parit.

Plautus, L. 3. Prol. V. 45.

Suspicione si quis errabit suâ.

Idem, Fab. 10. V. 36.

Maligna insontem deprimit suspicio.

Denique eandem hanc syllabam semper producit Terentius.

- 2 Cicero, Orat. pro Cluen. C. 4. *Faciam, ut intelligatis, quid res ipsa tulcrit, quid error efflaxerit, quia invidia contrahit.*
- 3 Cicero ad Attic. Lib. VII. Epist. 2. *Dabit (Cato) integritatis, justitiæ, clementiæ, fidei mihi testimonium.*
- 4 Abitenens, Fab. XVII. Faernus, Fab. XXVII, P. Targa, Fab. 32. *Ve. dizotti, pag. 40.*





## FABULA II.

*Piscis.* <sup>5</sup>

BENE calefactam <sup>6</sup> missus in fartaginem  
 Piscis, furente ut se calore liberet,  
 Resilit; at prunas miser in ipsas decidit:  
 Sic ergo, frictus <sup>7</sup> ne pereat, astus perit.  
 Quem pertinacis ira Fortunæ premit,  
 Mutat aliquando, nec tamen vitat malum.

## FABULA III.

*Sus & Apes.* <sup>8</sup>

APICULA <sup>9</sup> teneram leserat Suis cutem:  
 Iratus ille, tantulæque tam levem  
 Punire volueris punctiunculam <sup>1</sup> volens,

<sup>5</sup> Abstemius, Fab. XX.

<sup>6</sup> Cicero, ad Attic. L. 2. Epist. 3. *Balneum calidum jubebo.* Horatius,  
 L. 2. Epist. 2. V. 169.

<sup>7</sup> Sub noctem gelidam lignis calefacto alenum.  
 Virgilius, Aen. L. 12. V. 65.

Cui plurimum ignem

Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.

<sup>8</sup> Celsus, L. 2. C. 18. *Tam res eadem magis alit jarulenta, quàm  
 ossa; magis ossa, quàm fricta.* Horatius, Ar. poet. V. 249.

Nec, si quid fricti ciceris probat & nucis emptor,

Aequis accipiunt animis, donantve coronâ.

Plautus, Bacch. Act. 4. Sc. 5. V. 7.

Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum est cicer:

Vairo, de re rust. L. 2. C. 4. extr. *Triticum frictum catæ  
 quartet.*

<sup>9</sup> Abstemius, Fab. XXXVIII. Le Noble, Fab. XXVII.

<sup>1</sup> Priscianus, L. 3. pag. 013. *Et apex, ejus diminutivum, pro e,  
 longam i habet apicula.* Plautus, Cure. Act. 1. Sc. 1. < 15.

Egon apicularum opera congestum non feram?

Quo in versu syllaba, quam memerat Priscianus, brevis est.

<sup>1</sup> Seneca, de vita bea, C. 15. *Ad voluptatum dolorumque punctiunca-*



Aggreditur ipsum disjicere apiarium,  
 Quassatque rostro: totum at examen ruit,  
 Et mille punctum aculeis hostem fugat.  
 Qui vindicare injurias quærit leves,  
 Ille sibi plerumque graviore fuscitat <sup>2</sup>.

## FABULA IV.

### *Picta Solitudo & Columba.* <sup>3</sup>

P I C T A M in pariete imaginem blandissimam  
 Taciti Recessus <sup>4</sup>, temere positas arbores,  
 Has permeantem in nubili lucem ætheris,  
 Interque gramina fugientem rivulum,  
 Vidit Columba; cumque premeretur fiti,  
 Huc celeritate, quantâ potuit, se intulit:  
 At misera solido offendit; & in ipso impetu  
 Male vulnerata, præceps ad humum corruit.

Hæc fabula homines, heu! nimis multos monet,  
 Quos vana species ad suum damnum trahit.

*las concitatur.* Et Epist. 54. *Pedes dolent; articuli punctiunculas  
 sentiunt.*

<sup>2</sup> Virgilius, Georg. L. 4. V. 454.

Tibi has miserabilis Orpheus  
 Handquaquam ob meritum penas, ni Fata resistent,  
 Suscitat.

<sup>3</sup> Æsopus Fab. CXX. Locmanus, Fab. XXVII. Camerarius, Fab. CXIX.

<sup>4</sup> Cicero, ad Attic. L. 12. Epist. 26. *Nihil solitudo & recessus præ-  
 vincit est.*





## FABULA V.

*Pastor & Rex.* 5

OVIUM regebat magnum & eximium gregem  
 Pastor beatus: cujus cum prudentiam,  
 Industriamque cognovisset proximæ  
 Rex Civitatis; hunc, ut ovibus. sic quoque  
 Aptum regendis hominibus fore judicans,  
 Ad se vocavit, & reluctantem licet,  
 Regni administrum fecit. Ille, qui fatis  
 Ingenii haberet, vique judicii bonâ  
 Instructus esset, virtutesque ceteras,  
 Quarum usus indigeret 6, faciliè consequi  
 Studio & labore possiet, rem Domini simul  
 Populique rectè gessit. & talit datas  
 Utrinque laudes. Quosdam at Aulæ principes  
 Livor malignus impulit, ut mendaciis,  
 Dolisque turpibus in animum Regis graves  
 Suspicionum 7 injurias inducerent.  
 Hunc infusurrant furtis ditari suis,  
 Pecuniamque publicam corradere:  
 Arcam fuisse visam in ejus cubiculi 8  
 Secretiore parte, clausam sedulo,

5 La Fontaine, Lib. X. Fab. X.

6 Virgilius, Ecl. 2. V. 71.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus.

7 Consule notationem ad Prologum hujus libri.

8 Commirius, Fab. de Mure, Fele, & Mufcipulâ:

Viduo sedebat machina in cubiculo

Brevis est hujus ultima vocis secunda syllaba; in quâ & Fregue-  
 rius. exemplo fortissimè Commirii, cujus carmina in deliciis habebat,  
 deceptus erravit: scripsit enim, Caam. 41. Edit. an. 1740.

At qui te, viduo manè cubiculo.

Multisque lamnis communitam ferreis:  
Illic recondi scilicet raptas opes.

His invidorum machinationibus  
Rex denique victus arcam recludi jubet.  
Nil perturbatus ille, suæque conscius  
Integritatis: Magne Rex, inquit, cave,  
Ne fiat id, quod postea infectum velis:  
Crede innocenti: nesciam labis meam  
Semper fuisse, & esse adhuc testor fidem:  
Ultra ne inquire. Sed cum proliceret nihil,  
Arcam recludit ipse; simulque proferens  
Singula, cucullum scilicet pastorium <sup>9</sup>,  
Sagunque rusticum, & panarium <sup>1</sup>, & pedum,  
Et fistulam: Thesaurus en, inquit, meus:  
Hunc olim amare solitus, hoc uvo frui  
Deinde volo: forsitan invidere desinent  
Malevoli. Rex pudore confusus gemit;  
Et execratus scelera gentis invidæ:  
Ne me, ait, amice, miserum amicum desere.  
At ille durus fugit, & oves redit ad suas.

Et Carn. 45.

Nec mentas modò, sed cubiculorum.

Terentius, Adelph. Act. 4. Sc. 5. V. 60. qui versus Octonarius est:

Et illam sine tuâ operâ in cubiculum iri deductum domum.

Phædrus, L. 3. Fab. 10. V. 21.

Incravit rectâ cubiculum uxoris petens.

Plautus, Afin. Act. 4. Sc. 1. V. 42.

Ita scilicet facturam: verum in cubiculo.

<sup>9</sup> Ovidius. Metam. L. 2. V. 680.

Illud erat tempus, quo te pastoria pellis

Texit; onusque fuit baculum silvestre sinistrae,

Alterius dispar septenis fistula cannis.

<sup>1</sup> Varro, de ling. lat. L. 4. Panarium, ubi (panem) adseruabant.

Plinius, L. 1. Epist. 6. *Proiute cum reuabere, licet, auctore me, ut panarium & lagunculam, sic etiam pugillares foras.*



Invidia nunquam vincitur: hanc virtus semel  
Experta cedit, si sibi ipsa consular.

## FABULA VI.

*Rusticus & Sophus.* <sup>2</sup>

LONGINQUAM ad oram vi procellosi maris  
Alisa quondam navis Rusticam & Sophum,  
Merlis profundo ceteris, eiecerat,  
Potius, cibique, & omnium rerum indigos.  
Omnem suam illi miseriam postquam satis  
Habere perspectam, & vident jam se fame  
Esse perituros, aliquid opis ni suppetat,  
Mœrent, silentque: mox tamen Sophus prior:  
Bono inquit, animo <sup>3</sup> es; me duce, sperari potest  
Fortuna melior: hinc ad urbem proximam  
Citò ambulemus <sup>4</sup>: uberes scientiæ  
Fontes aperiam: quid malum sit, quid bonum,  
Quid turpe, quid decorum, gentem barbaram  
Docebo; mentibus ingeram novitiis  
Honesti amorem; omnesque sanctis artibus  
Rite institutos adducam, ut suas opes  
Quascumque participare nobiscum velint.

<sup>2</sup> La Fontaine, Lib. X. Fab. XVI.

<sup>3</sup> Terentius, Phorm. Act. 5. Sc. 7. V. 72.

C. At vereor, ut placari possit. D. bono animo es.

<sup>4</sup> Terentius, Phorm. Act. 5. Sc. 7. V. 43.

In jus ambula.

Cicero, ad Artic. L. S. Epist. 14. *Eo modo autem ambulat Cæsar,  
& nos multis militum celeberrimam incitat, ut timeam, ne cecidit  
ad Brundisium, quam opus sit, accesserit.*

At Rusticus: Quis, inquit, antequàm tuas  
 Tot artes, tamque difficiles persuaseris,  
 Efficiet, misera ne fames nos enecet?  
 Alimenta ventri, inani jam nimis diu,  
 Paranda sunt quamprimùm; & hac ipsà die  
 Coenare cupio; provisoque protinus,  
 Ne desit id quod flagitat necessitas.  
 Dixit; simulque proximum petit nemus;  
 Ramos defringit arborum, mundat, ligat,  
 Desert in urbem, venales pronuntiat,  
 Vendit, cibosque factâ 5 emit pecuniâ.

Ars optima, suo quæ domino 6 victum parat.

## F A B U L A VII.

Ad Josephum Farsettium, Patricium Venetum,  
 & in Academiâ \* Florentinâ socium.

*Felis & Mus.*

T U S C I sermonis illius veteris, boni  
 Sanè, & faceti, & elegantis, integram  
 Urbanitatem versibus adhibes tuis,  
 Jucunde Farsetti, & poeticam simul  
 Nôsti latinam, scriptor haud incallidus.

5 Cicero, in Verr. Lib. 2. C. 6. *Quærere ipse secum & agitare cum suis coepit, quibusnam rebus maximam pecuniam facere possit.* De Divin. L. 1. C. 49. *Ut ostendat, et, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere possi.*

6 Cicero, de Legib. L. 3. C. 12. *Si Senatus dominus sit publici consilii.* Tuscul. L. 3. C. 5. *Qui ita sit affectus, cum dominum esse veram suarum rerum retinet duodecim tabula.* Orat. pro Bal. C. 13. *Hæc sunt enim fundamenta summissima nostræ libertatis, sui quemque juris & retinendi & dimittendi esse dominum.*

\* Della Crusca.

Avitum honorem his perge porrò nitibus  
 Ornare studiis: at voluptatem sequi  
 Malam, improbive delicias miserabiles  
 Amoris ullo ne dehinc lepido velis  
 Celebrare cantu, fabula sequens admonet.

Felis dolosa Murem incautum ceperat:  
 Gulæ voracis impetus primùm fuit  
 Prædam comedere; sed malam urget bestiam  
 Alia cupiditas, & cogit aliquantulùm  
 Differre cædem: fraudulentis scilicet  
 Priùs oblectare collibet se lusibus.  
 Suum ergo, fingens se misereri, mitibus  
 Connivens etiam oculis, vel obvertens caput,  
 Captivum emittit; at fugientem mox levi  
 Cursu assecuta recipit: gaudio exilit,  
 Circùmque subsilit, & resiliit, & infilìt;  
 Et rursùm omittit; & fatigatum metu,  
 Sævoque ludo, mulcet, ac demitigat  
 Clemente plantà, aut unguibus mediocriter  
 Exertis excitat ad inutilem sagam;  
 Tum semivivum, more pilæ, sursum vibrat;  
 Jactat, receptat 7, vexat, ac demum vorat.

Animum inscientem retibus postquàm suis  
 Amor impedivit, barbarus & exlex Amor,  
 Blanditur atrox, & jocatur perfidus,  
 Demumque luctu perditum immolat feròx.

7 Lucanus, L. 7. V. Sic.

Cuncta sinu,

Natura receptat



## FABULA VIII.

*Villicus, Vulpis, & Canis.* <sup>8</sup>

ADVENERAT NOX, immemorque Villicus  
 Liquerat apertas gallinarii fores.  
 Jejuna Vulpis sensit; & somno gravi  
 Dum familia omnis, & Canis custos jacent,  
 Hinc avida liccis faucibus ingreditur: nihil  
 Discernit, an gallina, vel pullus neci  
 Mandetur; prima quæque mactat corpora;  
 Prædamque secum, quantam ferre potest, rapit.  
 Ubi sua damna postero agnovit die,  
 Doloris impos Villicus objurgat Canem,  
 Cæditque fuste. At ille contra: Cur, ait,  
 Me plectis immerentem? an ideo sum nocens,  
 Quòd tu ipse fueris negligens? rei tuæ?  
 Hærens ubi peccat, sæpe servus plectitur.

## FABULA IX.

*Cycnus.* <sup>1</sup>

CYCENUS canorâ voce placuerat diu,  
 Multamque laudem, dulce cantûs præmium,

<sup>8</sup> La Fontaine, Lib. XI. Fab. III. Abstemius, Fab. CXLIX. Jahnus, Biblioth. Rhetor. Tom. 2. pag. 752.

<sup>9</sup> Cicero, in Verr. L. 3. C. 62. *Sib aliquis dissolutior in judicando; legum, officii, reipublicæ, sociorum, atque amicorum negligentior.* Seneca, de Ira, L. 1. C. 1. *Unu alteri nocet, sui negligens.*

<sup>1</sup> Richer, L. III. Fab. VIII. Bourfault in sua Comardiâ Æsopica prima. AB. I. Sc. VI.





Retuierat: at pertædet illum denique  
 Quòd usque eodem canere dicatur modo.  
 Itaque natura & usus quod perfecerant,  
 Omne id repudiat, & novos tentat sonos.  
 Os distorquetur: dura vox extruditur:  
 Nescio quid canitur gutture invito insolens.  
 Laudare soliti vituperant, si qui audiunt;  
 Istunque, dicunt, Cycnum, an Auferem licet  
 Credere? figura Cycui, vox est Anseris.  
 Hùc sequere, quà Natura tibi monstrat viam.

## FABULA X.

*Simius & Speculum.* <sup>2</sup>

QUI, qualis esset, nesciebat Simius,  
 Et se putabat bellulum, effigiem suam  
 Vidit fideli redditam <sup>3</sup> à Speculo: nihil  
 Ad se attinere tale simulachrum ratus,  
 Gaudet videndo; ridet; acres & jocos  
 Subamarus insicetam in bestiam jacet:  
 Industriamque laudat artificis manum.

Sed aliquis: Heus, te, dixit, ignoras? tua est  
 Ipsa hæc imago. Sentit hìc porrò asperam  
 Vim veritatis Simius, jamque incipit  
 Damnare Speculum, quod priùs laudaverat.

<sup>2</sup> Richer, Lib. VII. Fab. I.

<sup>3</sup> Plinius, Hist. L. 35. C. 7. *Publicus porticus inuestivit picturâ: ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditus.* Et L. II. C. 37. de Oculis: *Adæque vis absoluta vis speculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominibus*

Qui Fabularum noverit proprium genus,  
 Hasque esse Specula meminerit posita omnibus  
 Quò spectet illud argumentum, intelliget.

## F A B U L A X I.

*Gallus & Cochlea.* <sup>4</sup>

AD culmen excelsæ arboris dum nititur  
 Gallus se tollere volitando, nec potest;  
 Hùc pervenisse Cochleam attonitus videt.  
 Efflicere id autem quonam licuerit modo  
 Pennis carenti, scire discupit, & rogat.  
 Quid tum, inquit illa, si volare nescio?  
 Adrependi <sup>5</sup> artem calleo magis utilem.

## F A B U L A X I I.

*Serpens & Talpa.*

ME cæcitatibus admodùm miseret tuæ,  
 Talpæ inquebat Serpens; namque vix poter  
 Erumpere foràs, & aliquantùm progredi,  
 Quin te salutis offeras periculo.

Hæc cura, retulit Talpa, ne te maceret:  
 Rarò ambulare cupio; latibulum colo <sup>6</sup>,


<sup>4</sup> Richer, Lib. IX. Fab. XI.

<sup>5</sup> Horatius, Lib. 2. Sat. 5. V. 48.

Adrepe officiosus.

<sup>6</sup> Cicero, ad famil. L. 2. Epist. 12. *Urbem, urbem, mi Rufe, cole, & in istâ luce vive.*





Meisque vitam tutus in tenebris ago.  
Te verò, qui tam acutum cernere diceris,  
Nullane pericula premunt? Audivi tamen  
Jacère vestræ plura gentis corpora,  
Quàm nostræ, acerbæ quæ data fuerint neci.

## FABULA XIII.

*Culex.* <sup>7</sup>

AB avidâ Procne cùm suam opprimi Culex  
Gentem videret, acris cessit plagis;  
Et se recepit rustici vilem in casam:  
Sed usquequaque retia hîc extendere  
Videns araneam: Heu <sup>8</sup>: ait, misero mihi  
Quid quæsi? Isc plenus infidiis locus,  
Plenus periclis. Ergo textricem fuce  
Inimicam genti abominatur, & fugit.  
Hinc ad superbam divitis volat domum,  
Furtimque splendidum in conclave permeat:  
Latet aliquandiu, animi dubius, an satis  
Sibi omnia tandem tuta sint. Postquàm metum  
Abjecit omnem, ex angulo erumpit levis:  
Atque: Bona, dixit, habitat has ædes Salus:  
Lautè, beatè, tutò vivere hîc licet.  
Nox interim advenit; accenduntur lumina:

<sup>7</sup> Richer, Lib. I. Fab. VI.<sup>8</sup> Ovidius, Heroid. Epist. 6. V. 7.  
Heu! ubi pæta fides?

Novus iste Culici fulgor inueto <sup>9</sup> placet!  
Hùc ergo ruit; at ustulatur <sup>1</sup>, & crepat.

Sæpe hostes sapiens qui suos sùgit, suâ  
Sibi hostis ipse deinde stultitiâ perit.

## FABULA XIV.

### *Mulus & Porcus.*

**M**A CER & onustus sarcinâ nimium gravi,  
Tardè ambulabat, & suam crebrò gemens  
Vicem dolebat Mulus: hunc Porcus, sua  
Quem nimia pariter impedièbat <sup>2</sup> obesitas,  
Sic consolandi gratiâ allocutus est:  
Age verò, frater, hos inanes comprime,  
Parumque honestos gemitus: æquo animo sequi  
Sua quisque fata debet: omnes te sciunt  
Natum gerendis oneribus, quæ si libens  
Alacrisque gerere detrectaveris; nihil  
Profeceris; ea namque cogêris tamen,  
Tristisque, gerere. At oculos in me denique  
Conjice, tuamque disce fortunam pati.  
An leviùs es, quàm te, onustum me putas?  
Adverte quantum pinguitudinis <sup>3</sup> geram:

<sup>9</sup> Phædrus, l. 1. Fab. 2. V. 7.  
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave  
Omne inuêris onus.

<sup>1</sup> Catullus, Carn. 36. V. 3.  
Infelicibus uitulanda lignis.

<sup>2</sup> Varro de re rust. Lib. II. Cap. IV. pag. 73. Edit. Scriverii: *Sus usque  
adeo pinguitudine crescere solet, ut seipsa stans sustinere non possit,  
neque progredi usquam.*

<sup>3</sup> Varro, Ibidem: *In Arcadiâ scio à me esse spectatam suam, quæ p. 73.*

Meum illud onus est, quo quidem totus premor  
 Eò usque, vix ut ingredi + liceat mihi;  
 Et vita nostra peragitur nihilominùs  
 Satis jucundè; nec curis edacibus,  
 Ullisve porrò gemitibus corrumpitur.

Orationem Porci Mulus respuens:  
 Sortem, ait, utrinque disparem esse non vides?  
 Eflèm beatus, si carerem farcinà;  
 At tu miser eris, cùm tuum amittes onus.

## FABULA XV.

*Vulpis.* 5

DUM Vulpis furtim villici chortem subit,  
 Queritur, meatus quòd fit angustus nimis:  
 Sed insequentem posthac dum refugit canem,  
 Queritur, meatus quòd fit multò laxior.

Humana sæpæ ratio secum diffidet 6.

*pinguitudine carnis non modò surgere non posset; sed etiam ut in ejus corpore forex, exesa carne, nidum fecisset, & peperisset. Et pag. 72. Alitur maximè glande, deinde fabâ, & ordeo & cetero frumento: quæ res non modò pinguitudinem efficiunt, sed etiam carnis jucundum saporem. Columella, L. 8. C. 8. extr. Sed nihil ista res pinguitudinis efficit,*

4 Cicero, Orat. pro Rab. C. 7. *Qui (M. Aemilius) cùm ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum, impedimento fore putabat.*

5 Richer, Lib. V. Fab. XIX. Faernus, Fab. XLIV. P. Targa, Fab. 43.

6 Cicero, de fin. bon. & mal. L. 1. C. 18. *Animus à se ipse diffidens secumque discordans. Acad. L. 4. C. 47. Inter se diffident . . . . Cum Cleanthe doctore suo Chrysippus diffidet. Auctòr Rhetoricor. ad Herenn. L. 2. C. 9. Voluntas scriptoris cum scripto diffidens videbitur.*



## FABULA XVI.

*Rubus & Ovis.* 7

PLUVIA imminebat: sic hortatus est Ovem  
 Rubus: Procellam non vides? quid resistas?  
 Huc recipe te celeriter in meos sinus,  
 Tua ne tam nitida permadescant 8 vellerā.

Diffidere cuiquam nescia Bidens paruit;  
 Utque Rubi densis protegeretur frondibus,  
 Spinosa se hujus brachia inter condidit.  
 Pluviam quidem vitavit: at beneficium  
 Hospitis avari pretio magno confitit 9.  
 Abire nullo quippe jam potuit modo,  
 Quin lanæ id omne, quod fuisset ab improbis  
 Semel apprehensum brachiis, relinqueret.

Fabula rapaces ad Patronos pertinet.

## FABULA XVII.

*Villicus & Columba.*

CIBUM Columbæ Villicus cum poneret,  
 Grana, inquit, ista doleo certè quod tibi  
 Afferre cogor: quantò justius bovi  
 Apponerentur, cujus irrigata sunt

7 Richer, Lib. XI. Fab. XI. La Motte, Lib. III. Fab. X.

8 Columella, L. 2. C. 4. *Nisi si manūs ac subitaneis imbribus terra permaduerit.* Seneca, de Provid. C. 4. *Fugite delicias; fugite enervatam felicitatem. quæ animi permadescunt.*

9 Plinius, Hist. L. 12. C. 18. *Tanto nobis delicia & femina constant!*

Sudore multo? vili & insuavi tamen  
 Contentus ille foeno vitam sustinet:  
 Sed te otiosam, desidemque tam bonis  
 Gaudere vitæ subsidiis, ægre id fero.

Retulit Columba: Talibus granis doles  
 Me refici; at illa delegisti sedulus  
 Toto ex acervo pessima, reservans tibi  
 Quæcumque bona sunt. His operarium <sup>1</sup> bovem  
 Fuisse longe digniorem <sup>2</sup> judicas:  
 At natura ejus non petit tales cibos.  
 Me denique otiosam ac desidem vocas:  
 Ingrate! nostris perfrui te fetibus  
 Potes oblivisci? mihine pullos educo,  
 An tibi, qui sæpe, cùm teneram lanuginem  
 Vix induerunt, hos mihi abripis, & voras?  
 Tuam ergo curam define tam levem queri,  
 Unde tibi tanto fenore pretium redit.

## FABULA XVIII.

*Cornicula & Columba.* <sup>3</sup>

CORNICULA olim cùm Columbam inviseret,  
 Fecunditatem gratulari cœperat,  
 Quæ singulis progeniem mensibus ederet.

<sup>1</sup> Columella, L. 6. C. 2. extr. de bubus: *Humilis enim & modica corporatura pecoris operarii debet esse, nervis que & musculis robusta.*

<sup>2</sup> Virgil. *Æneid.* Lib. IX. V. 212.

Te superesse velim: tua vitâ dignior ætas.

<sup>3</sup> *Æliopus*, Fab. 121.

At illa: Ne mei, inquit, commemores mihi  
 Causam doloris. Parere toties quid juvat?  
 Quoscumque pullos educo, dominus rapit  
 Avarior, damnisque ditescit + meis.  
 Plerumque misera est servilis fecunditas.

## F A B U L A X I X.

*Psittacus.* <sup>5</sup>

P R O B E educatum, prænitentem corpore,  
 Ac prævalentem Psittacum vir nobilis  
 Emerat: hunc Atrienfi curandum dedit;  
 At ille totum id rejicit negotii  
 Ad Janitorem, Janitor ad Topiarium <sup>6</sup>,  
 Demum Topiarius ad inertes Pedisequos <sup>7</sup>;  
 Qui, fatis herili, necne, fiat Psittaco,  
 Flocci æstimantes <sup>8</sup>, illum sæpe & sæpius

4 Lucretius, L. 5. V. 1248.

Sive feras interficere, & ditescere prædâ.

5 Furetiere, Fab. XLIII.

6 Cicero, Parad. 5. C. 2. *Alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, Atrientes ac Topiarii.* Et ad Q. Frat. L. 3. Epist. 1. C. 2. *Topiarium laudari: ita omnia convellit edera, quâ basin villæ, quâ intercolumnia ambulationis.* Plinius, Hist. L. 15. C. 29. de myrtis: *Sativarum genera Topiarii faciunt.*

7 Phædrus, L. 4. Fab. 4. V. 36.

Vestem, uniones, pedisequos, & cetera  
 Illi adsignare, vitam quæ luxu trahit.

Terentius, Andr. Act. 1. Sc. 1. V. 95.

Quia erat formâ præter ceteras

Honestâ & liberali, accedo ad pedisequas.

Plautus, Aulul. Act. 3. Sc. 5. V. 27.

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos.

Atque Parens in suo lexico: *Ubiuis in manuscriptis membranis unico sibi (id est literâ S non geminatâ) scribitur hæc aistio.*

Catullus, Carm. 5. V. 2.

Rumoresque senum severiorum

Omnes unius æstimemus assis.

Cibique , potùsque indigentem negligunt,  
 Adiguntque , fortem ut pristinam recolens gemat ;  
 Et : Vita , dicat , paupere mihi sub casâ  
 Heri prioris quantò erat beator !  
 Quas convenire scisset naturæ meæ ,  
 Cautè eligebat . præparabat sedulò ,  
 Et copiosè largiebatur dapes ,  
 Altor <sup>9</sup> mihi solus ille quidem , sed optimus .  
 Nunc in superbâ hujusce nobilis <sup>1</sup> domo ,  
 Ubi meliorem mihi fore fortem credidi ,  
 Vita mea servis commendatur plurimis ,  
 Longâque miser intereà conficior fame .  
 Benefaciendi curam si susceperit  
 Idoneus unus , præstat multitudini .

## FABULA XX.

*Vulpis & Lupus* <sup>2</sup>

CITATIORE dum viam carpit gradu ,  
 In foveam Vulpis inopinanter decedit .  
 Accedit hùc fortè Lupus , & dum prospicit :

9 Ovidius , Metam. L. II. V. 101. de Baccho Sileni alumno :


Gaudens altore recepro.

1 T. Livius , L. 22. C. 58. *Missus cum his Carthalo , nobilis Carthagenensis.* Plinius , Jun. L. 5. Epist. 17. *Ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulchrum , nisi imagines , habeant.* Phædrus , Lib. 5. Fab. 7. V. 16.

Erat facturus Indos quidam nobilis.

Sic legitur in Cod. MS. & in permultis editionibus.

2 Benferade , Fab. LXXIII. Abstemius , Fab. CXV. Faernus , Fab. XLIX. P. Targa , Fab. 47. Verdizotti , pag. 45.



Age, inquit illa, amice, quod facilè potes  
 Dare, perituræ ne mihi auxilium nega:  
 Aliquot recisos quære ramos arborum,  
 Et injice, qui me ad refiliendum sublevent.  
 Lupus ad hæc: Sine modò, quod petis, faciam lubens:  
 Sed dic, amabo, num diu est <sup>3</sup>, cùm sic jaces?  
 Tuque adeò, quam prudentem & callidam ferunt,  
 In has incurrere infidias quonam modo  
 Potueris, ego profectò scire pervelim.

Ohe, reclamat Vulpis impatiens moræ,  
 Nunc ista desine, quæso: me primàm adjuva  
 Ex hoc periculo ut reducar ocyùs:  
 Tibi nostra tum omnis historia narrabitur.

Periculosa ne beneficium morâ  
 Corrumpe lentus; at juva citò, quem juvas.

## F A B U L A   X X I.

### *Viatores duo & Latro.* <sup>4</sup>

D U O Viatores dum simul faciunt iter,  
 Marsupium unus reperit plenum aureis.  
 Eia, inquit, alter, in commune <sup>5</sup>: sed lucri  
 Ille negat ullam posse se partem dare;

<sup>3</sup> Plautus, Merc. Act. 3. Sc. I. V. 44.

Nam illi quidem, haud sanè diu est, cùm dentes exciderunt.

<sup>4</sup> Æsopus, Fab. LXXXIII.

<sup>5</sup> Seneca Epist. CNIX. *Quoties aliquid invèni, non expecto donec dicas, in commune; ipse mihi dico.* Phædrus, Lib. V. Fab. VI. V. 3.

Eia, inquit, in commune, quodcumque est lucri





Totumque jure uni reservandum sibi  
 Contendit, unus cum ipse sit, qui invenerit.  
 Interea utrique armatus occurrit Latro.  
 Nummorum tunc possessor; Eia, dexteram  
 Confer, ait; vinque vi repellamus: duos  
 Non vincet unus. Pauper at retulit comes:  
 Non tanti est: quid enim possit hic vacuo <sup>6</sup> mihi  
 Abripere? sed tu, habere qui solus bonum  
 Volueris, solus jure nunc maium feres,

## FABULA XXII.

*Mercurius & Sculptor.* <sup>7</sup>

MERCURIUS in cujusdam Sculptoris domum  
 Cum divertisset, patris effigiem sui  
 Aspexit; & quaesivit, quanti venderet.  
 Hanc nummulis ut audit omnino decem  
 Sibi comparari posse, gaudet in sinu,  
 Venire magnum tantulo pretio Jovem.  
 Sed hic suum quoque stare simulachrum videns,  
 Multoque plus esse vendendum ratus:  
 Quanti, inquit, istud? Sculptor autem: Si alterum  
 Stipulatâ signum compares pecuniâ,  
 Istud tibi pro cumulo <sup>8</sup> mercedis dabo.

6 Juvenalis, Sat. 10. V. 22.

Cautabit vacuus coram latrone viator.

7 Richer, Lib. IV. Fab. VI. Æsopus, Fab. XC. Faernus, Fab. XLVII.  
 P. Targa, Fab. 38.

8 Cicero, ad Attic. L. I. Epist. 16. *Pro mercedis cumulo fuerunt.*  
 Cumulus mercedis est id quod passionem excedit, quod datur, ut  
 Galli dicunt, *par dessus le marche.*

Ridicula quàm fit humiliorum vanitas <sup>9</sup>,  
Tunc, iusta cùm fit æstimatio, patet.

## F A B U L A X X I I I.

*Gallus & Vultur.* <sup>1</sup>

**I**MPERIUM latè gentem in gallinaceam  
Sibi asseruerat victo Gallus æmulo:  
Hinc se superbus tollit ad culmen domûs,  
Suam ipse cantu celebret ut victoriam.  
At Vultur audit, & advolans illum rapit.  
Impunè victor nullus insolens <sup>2</sup> fuit.

## F A B U L A X X I V.

*Idem argumentum.*

**P**ACIFICE agebant <sup>3</sup> Galli duo: supervenit  
Gallina, bellumque simul. O Amor, Ilium

<sup>9</sup> Errant, qui putant, voce vanitatis non posse quamdam animi elationem significari. Suetonius, Vitell. C. 10. *Plurimum meri pro-palam hausit, passimque divisit, pari vanitate atque insolentia.* Tacitus, Hist. L. 3, C. 73. *Circumsistunt Quindarium Allicum con-sulem, umbrâ honoris & sudmet vanitate monstratum.* Vitâ Agric. C. 18. *Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus.* Vell. Paterc. L. 2. C. 80. *Hic vir omnium vanissimus... inflatus-que ampliùs XX legionum numero.* Phædrus, L. 5, Fab. 7. V. 1. Ubi vanus animus, aurâ captus frivola.

<sup>1</sup> La Fontaine, Lib. VII. Fab. XIII. Benferade, Fab. CLIII. Æsopus, Fab. CXLV. Aphthonius, Fab. XII. Locmannus, Fab. XXXV.

<sup>2</sup> Phædrus, Lib. I. Fab. II. V. 12.

Tunc ille insolens:

Qualis tibi videtur opera hæc vocis mææ?

<sup>3</sup> Terentius, Adel. Act. 3. Sc. 4. V. 56.

Quàm vos facillimè agitis, quàm estis maximè  
Potentes, dites, fortunati, nobiles.

Tacitus, Annal. L. 3. C. 73. *Quòd hostium more ageret.*

Tu perdidisti! Prælium fatis diu  
 Inter feroces æmulos dubium <sup>4</sup> fuit:  
 Addebat animos nempe spectatrix frequens,  
 Quam fama pugnae nuntia huc acciverat:  
 Sed unus altero inferior tandem, & male  
 Mulcatus, hinc se proripit celeri fuga;  
 Et, abscondat ubi dedecus, latebram petit;  
 Helenamque non unam, ah! suo partam <sup>5</sup> gemens  
 Relinquit hosti, præmium victoriæ.  
 Interea tecti scandit ad fastigium  
 Victor superbus & epinicium <sup>6</sup> sibi  
 Canit ipse, acutis ingeminans clangoribus.  
 At vultur, auras ambiens dum circinat <sup>7</sup>,  
 Quæritque prædam, audit, & simul ingruens,  
 Stultè triumphantem occupat, lacerat, vorat.

## FABULA XXV.

*Canis domesticus & Canis externus.* <sup>8</sup>

CONVIVIUM solemne Canis domesticus  
 Videns parari, invitat externum Canem,  
 Secum ut futuri particeps fiat boni.

<sup>4</sup> T. Livius, L. 35. C. 29. *Aliquandiu dubium prælium fuit.*

<sup>5</sup> Virgilius, Aen. L. 2. V. 783.

Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux  
 Parta tibi.

<sup>6</sup> Suetonius, Nero. C. 43. *Affirmavit se . . . cantaturum epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.*

<sup>7</sup> Vide not. ad L. 8. Fab. 4.

<sup>8</sup> Richer, Lib. X. Fab. VI. Benferade. Fab. CLXVIII. Æsopus, Fab. CXXIX. Faernus, Fab. LXXX. P. Targa, Fab. 98.

Benignitatem hanc sperat ille credulus  
 Fore efficacem; quódque sperat, jam ratum <sup>9</sup>.  
 Sibi esse reputat; resque suæ quo sint loco,  
 Et varietas quos quanta commendet cibos,  
 Ut videat, ad culinam vadit: at coquus  
 Eum apprehensis derepentè cruribus  
 Præcipitem de fenestrà projicit in viam.

Quicumque se spondet aliorum de bonis  
 Fore liberalem, nostra fabella hunc notat;  
 Culpatque pariter ejus imprudentiam.  
 Qui cautioni <sup>1</sup> tam caducæ habet fidem <sup>2</sup>.

## F A B U L A X X V I.

### *Simia & ejus Filius.* <sup>3</sup>

S U U M ad Tribunal omnes olim Jupiter  
 Mercurium jussit convocare belluas;  
 Ut pulchriores <sup>4</sup> edidisse filios  
 Quas judicâisset, has donaret præmio.  
 Accurrit ergo Simia, & turpem offerens,

<sup>9</sup> Cicero, ad Attic. L. 5. Epist. 8. *Ut Faustæ, cui cautum ille esse no-  
 tuisset, ratum esset.*

<sup>1</sup> Cicero, ad famil. L. 7. Epist. 18. *Itaque, quando vestræ cautiones  
 infirmæ sunt, præculam tibi mihi cautionem chirographi mei.  
 Id est, quamvis ipsa sit græcula, sive, non multò firmior.*

<sup>2</sup> Cicero, de Divin. L. 2. C. 59. *Insanorum visis fides non est ha-  
 benda.*

<sup>3</sup> Benferade, Fab. CV. Le Noble, in suâ Comoediâ Æsopicâ, Act. V.  
 Sc. IV. Avienus, Fab. XIV.

<sup>4</sup> Hic debuisse scribi *pulcherrimos*, si quis contendere velit, offendet,  
 nescire se loquendi formulam, cujus exempla passim apud auctores  
 latinitatis optimos occurrunt.

Simiolum: Is, inquit, bellulus meus mihi  
 (Cedite, parentes ceteræ) palmam exigit.  
 Malus auctor fetus nunquam bene novit suos.

## FABULA XXVII.

*Avium & Piscium foedus.* 5

CUM Piscibus Aves foedere ic̄to sanxerant,  
 Ut operâ & opibus se juvarent mutuis.  
 Sed hinc, & illinc publica res cūm postulat,  
 Ut obligatam facta liberent fidem;  
 Neque gens Natantum sese in auras tollere,  
 Neque gens. Volantum permeare undas potest.  
 Inutilis ibi societas conjungitur 6,  
 Ubi via dividit invia 7, & dispar genus.

## FABULA XXVIII.

*Arbuscula & Quercus.*

LAUDABAT Quercûs arduæ præstantiam  
 Sub ejus umbrâ germinans 8 Arbuscula.  
 Meum quidem, inquit Quercus, altum in æthera  
 Surgit cacumen; dominor in totum nemus:

5 Camerarius, Fab. CCCI.

6 Cicero, de Offic. L. 3. C. 12. *Meminiſſi, eſſe inter homines naturâ conjunctam ſocietatem.*

7 Virgilius, Aen. L. 3. V. 383.

*Longa Procul longis via dividit invia terris.*

8 Plinius, Hiſt. L. 13. C. 4. de palmâ: *Mas in palmite flore: femina, citra florem, germinat, tantum ſpicæ modo.*

At quò magis præcello Arboribus ceteris,  
 Tantò faciliùs venti, grandinis, nivis,  
 Fulminis atroces me petunt injuriæ.

Hæc fabulâ homines commonentur infimi,  
 Summis suam invidere ne fortem velint.

## F A B U L A X X I X.

*Auceps.* <sup>9</sup>

**I**RRETIENDIS laqueos explicaverat  
 Volucris Auceps; alliciendi gratiâ  
 Posuerat escam: demum in insidiis cubans  
 Expectat. Agmen mox fatis magnum advolat;  
 Sed hæc avaro indigna visa paucitas:  
 Nihil ergo tentat ille. in horam differens <sup>1</sup>,  
 Dum multitudo accederet frequentior.  
 Aliæ post alias interim abscedunt aves;  
 Novissimæque succedunt prioribus  
 Longè minore numero: adextremùm, cibi  
 Egenus, & macer, unicus passerculus  
 Jam superat; & in occasum cum sol vergeret,  
 Vacuus ne redeat Auceps laqueos contrahit,  
 Illamque tristis futilem prædam capit.  
 Meliora dum vis, ne bona amittas, cave.

<sup>9</sup> Abstemijs, Fab. XXXIX.

<sup>1</sup> Ovidius, Fast. L. 3. V. 393.

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,  
 Differ: habent parvæ commoda magna moræ.

## FABULA XXX.

*Rusticus & Canis.* <sup>2</sup>

CUNIS jacentem filium valido Cani  
 Custodiendum Rusticus commiserat:  
 Adreplit hydra immanis, artus parvulos,  
 Et delicatos devorare jam parans.  
 Sed occupat eam, corripitque mordicus  
 Custos fidelis, atque grandi vulnere  
 Debilitat, incassumque tollentem minas <sup>3</sup>  
 Opprimit: at meritam inferre dum properat necem,  
 Puerumque, cunasque simul evertit super  
 Extinctâ peste. Mox suo ex arvo redux  
 Agricola, cunas hinc ut everfas videt,  
 Inde efferatum rictibus Canem aspicit  
 Adhuc cruentis; hunc, dolore percitus,  
 Ligone, quem tenebat, impacto ferit,  
 Interficitque, nil morari sustinens;  
 Animi furentis impetum dum vindicet.  
 At cunas ubi restituit, ac demortuo  
 Super angue puerum vivum, illæsum reperit;  
 Seram facinoris egit <sup>4</sup> pœnitentiam,

Corn. Nepos, L. 5. C. 4. *Ne differendo videretur negare.* Lucanus,  
 L. 1. V. 281.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

<sup>2</sup> Camerarius, Fab. CCCLXXXIX, Specimen sapientiæ Indorum,  
 Sect. VII. pag. 341. Edit. Starkii. Histoire Pitoyable du prince  
 Eraustus, ch. 8.

<sup>3</sup> Virgilius, Georg. L. 3. V. 421. de Viperâ:  
 Tollentemque minas & sibilâ colla tumentem  
 Dejice.

<sup>4</sup> Q. Curtius. L. 8. C. 6. n. 23. *Quia frater ipseus quanquam impium  
 facinus ausus foret, tamen & pœnitentiam ejus ægeret, & per*



Et se coarguit ipse, & agnovit gemens,  
Iræ malum reverti ad auctores suos.

## F A B U L A   X X X I.

*Accipiter & Luscinia.* <sup>5</sup>

CAPTAM tenebat diris Lusciniam unguibus  
Accipiter. Illa: Si me dimittas modò  
Fundam tibi melos quàm potero doctissimum,  
Suavissimumque; quin & experiar simul  
Cantare laudes & mei clementiam  
Victoris, inquit. At mihi, retulit latro,  
Non auribus bene esse, sed ventri volo.

Canant Poetæ; at meminerint, quædam fera  
Ingenia nullis artibus humanis capi.

## F A B U L A   X X X I I.

*Gutta, Pontus, & Osireum.* <sup>6</sup>

CUM tenuis alto Gutta cadens ab æthere  
Vastus devolveretur in Ponti finus:  
Heu! tantula, inquit, tantæ quid voragini  
Irodesse possum, primo fluctu scilicet

*se potissimum prosteretur indicium. Auctor Dialogi de Orat.*  
C. 17. *Neque illius, inquit, sermonis mei poenitentiam ago.* T.  
Livius, L. 31. C. 32. *Celerem (dixit Damocritus) poenitentiam,*  
*sed eandem feram atque inutilem sequi.* Phædrus, L. 1. Fab.  
13. V. 2.

Seræ dat poenas turpes poenitentiae.

<sup>5</sup> Abstemius, Fab. XCII. Jafius Biblioth. Rhet. Tom. 1. pag. 753.

<sup>6</sup> Spectator Angl. Tom. 3. Serm. 49.





Exhaurienda, & interitura funditus?  
 Dum sic misella deprimit fortem suam;  
 Patulo dehiscens ore summis Ostreum  
 Emergit undis, hancque delapsam excipit,  
 Penitus recondit, induratum perficit:  
 Quæ Gutta fuerat, extitit demum unio 7;  
 Ac deinde honoris illud ad fastigium  
 Evectus est, ut Regis ornaret caput.  
 Qui se fatentur humiles, extollit Deus.

## FABULA XXXIII.

*Corvus & Lupi.* 8

LUPOS secutus Corvus ad multum 9 diem,  
 Prædam his potitis officium jactat suum,  
 sibi que partem retribuunt aliquam, rogat.  
 Respondet unus: Gratum id esset forsitan,  
 Si cura nostrî 1 te comitem nobis daret:  
 At sola prædæ cupiditas huc te impulit,  
 Ad quam obtinendam cum operæ potueris nihil  
 Conferre, meritò te vacuum dimittimus,  
 Inutiles fabella parasitos notat.

7 Uniones in Ostreis ex rore concepto nasci crediderunt veteres.  
 Vide Plin. hist. Lib. IX. Cap. XXXV.

8 Camerarius, Fab. CCLXXXV. Verdizetti, pag. 93.

9 Cicero, ad Attic. L. 13. Epist. 9. *Multus sermo* ad multam diem.

1 Virgilius, Aen. L. 2. V. 595.

Quid furis? aut quonam nostrî tibi cura recessit?





## FABULA XXXIV.

*Cuculus, Philomela, & Asellus.* <sup>2</sup>

CUM cantavissent coram Afello iudice  
 Cuculus, ac Philomela; & hic quidem unicum,  
 Quem nôrat, usque & usque repetisset sonum;  
 At illa concinnasset egregium melos,  
 Sonosque mirâ varietate volubiles;  
 Postremò Afellus dixit hanc sententiam:  
 Philomelæ cantus paulò est intricatior;  
 Placet Cuculus, multò æquabiliùs canens,  
 Nostrasque, pugnae præmium, laudes feret.

Quæcumque capere intelligendo non potest  
 Iudex ineptus, ea plerumque deprimit.

## FABULA XXXV.

*Porcus & Nautae.*

CUM navem acerbum fluctibus iratis mare  
 Vexaret, & turbaret exanimes metu  
 Nautas; jacebat Porcus intereà gravi  
 Sopore mersus. Illi desidem excitant,  
 Et exprobrantes tam supinam inertiam:  
 Commune, clamant, non sentis periculum?  
 Dormire, mortem cuncta dum intentant <sup>3</sup>, potes?

<sup>2</sup> Camerarius, Fab. CCCCXVI.

<sup>3</sup> Virgilius, Aen. L. 1. V. 91.

Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Trepidate, stulti, grunniens Porcus refert;  
 Ista sapientem me probat + securitas.  
 Nautæ reponunt: Immo socordem probat.

Apathia, tantis Stoicorum laudibus  
 Celebrata, rursus <sup>5</sup> hâc notatur fabulâ.  
 Illam esse dicunt Stoici constantiam;  
 Mihi videtur esse mentis tarditas.

## FABULA XXXVI.

*Juveni duo & Pratulum.* <sup>6</sup>

Duo Juveni gramina, quæ forent satis  
 Et larga ? & idonea faciendo corpori,  
 In colle habebant: inde sed lætam procul  
 Ut aspexere viriditatem Pratuli <sup>8</sup>,  
 Ejus repentè desiderio perciti,  
 Huc se transferre properant. Aliquantum viæ  
 Confecerant: frutetum se densum objicit;  
 Hâc permeandum: tentant; & aditum sibi  
 Inveniunt: at prædator irruit Lupus;

<sup>4</sup> Diogenes Laert. L. IX. *Navi aliquando ferebatur (pyrrho) Et cum socii, tempestate adri, dejectiores essent, ipse, tranquillo animo, porcellum in navi edentem ostendebat, dicens oportere sapientem hanc illius imitari securitatem.*

<sup>5</sup> Vide Lib. VIII. Fab. XXIX. & annot.

<sup>6</sup> Richer, Lib. IV. Fab. I.

<sup>7</sup> Horatius, L. 4. Od. 2. V. 55. de vitulo:  
 Qui largis juvenescit herbis.

<sup>8</sup> Cicero, de clar. Orat. C. 6. *Tum in pratulo propter Platonis statum confedimus.* Ad Attic. L. 12. Epist. 6. *Abusus es in nostro pratulo.* Plinius jun. L. 5. Epist. 6. *Alibi pratulum, alibi ipsa buxus intervenit.*

Utrumque ferus oppugnat ; unum strangulat :  
 Evadit alter propellente agilis metu ,  
 Tandemque Pratulum ad expetitum pervenit,  
 Laboris igitur jam solatio <sup>9</sup> frui  
 Parat ; avidusque se teneris ingurgitat  
 Graminibus. At recepit letiferas dapes ,  
 Simulque virus faucîâ cute combibit.  
 Videlicet omnis infestus erat is locus  
 Serpentibus atris, herbis & nocentibus :  
 Ergo miser inde cùm reversus est domum ,  
 Languere cœpit, & obiit mortem brevî.

Quemcumque stulta cupiditas cogit suum  
 Relinquere bonum, meritis <sup>1</sup> hic malum invenit

## F A B U L A    X X X V I I .

### *Ursus & Vulpis.*

Q U O D mortua Ursus corpora nulla manderet ,  
 Humanitatem <sup>2</sup> idcirco jactabat suam :  
 At Vulpis : Immo vis , ait , humanus mihi  
 Videri ? mande mortua , vivis abstine.

<sup>9</sup> Cicero , in Verr. L. 4. C. 69. *Ut haberent hæc oblectamenta & solatia servitutis.* Virgilius , Aen. L. 3. V. 660.

*Ea sola voluptas ;*

*Solamenque mali.*

L. II. V. 62.

*Solatia luctûs*

*Exigua ingentis.*

<sup>2</sup> Ovidius , Metam. L. II. V. 130.

*Copia nulla famem relevat : sitis arida guttur  
 Urit ; & invisio meritis torquetur ab auro.*

<sup>2</sup> *Hominum propria est humanitas, sed hanc à belluis affectatam fugere, in hoc præsertim fabularum genere, licet.*

Tam facinorosa neminem vita inquinat,  
Qui laude se aliquâ dignum non existimet.

## FABULA XXXVIII.

*Croesus & Solon.*

CUM deambularet veste Croesus regiâ  
Stultè superbus, ex Solone quæsiit,  
Usquamne quidquam fas fuisset pulchrius  
Videre. Vidi psittacos, inquit Solon,  
Qui plus niterent, at superbirent minùs.

## FABULA XXXIX.

*Cynicus & Rex.*

Cynicus talentum à Rege cùm peteret sibi:  
Plus, inquit ille, quàm decet Cynicum, petis.  
Denarium ergo jam petit. Petis minùs,  
Ait ille rursus, quàm decet Regem dare.  
Nil dare volenti causa facilè suppetit.

FABULA XL. <sup>3</sup>

*Orator & Circulator.*

JDONEA vitæ & moribus cùm funderet  
Orator olim copiosus in foro

<sup>3</sup> Ad hanc me fabulam concinnandam invitavit, quanquam est diversum, id quod Strabo, L. 14. circa med. narrat de citharædo nobili,



Atheniensi, concionem Civium  
 Numerosam, honestam gratulabatur sibi:  
 Verùm ecce concrepante tintinnabulo  
 Spectacula sua Circulator nuntiat;  
 Simulque concio Oratorem deserit,  
 Et properat illuc, gaudii quò spes vocat.  
 Unus tamen remansit, in angulo sedens:  
 At ille dormiebat. Quem blandè alloquens  
 Orator, & collaudans, quòd prudentior  
 Stultam refugeret multitudinem sequi,  
 Datumque signum ludicri contemneret,  
 Postquam excitavit: Ludicri signum est datum,  
 Ait homo perturbatus!.. O, vale, vale.  
 Plerumque dulci posthabetur utile.

cui cum Jasi attentè aliquandiu adstitissent, citò hinc omnes,  
 excepto uno furdastro, dilapsi sunt, ubi signum vendendorum  
 piscium auditum est.















